


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXXIX (Fasc. II) - N. 206

M. JUNIO — A. MCMLXIX

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXIX (Fasc. II) - N. 206

M. JUNIO — A. MCMLXIX

L. E. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Lemmata veterum horologiis solariis inscripta</i> ... ..	49
T. CIRESOLA, <i>Concordes fratres</i> ... ..	55
J. M. MIR, C. M. F., <i>Oratio principis carthaginiensis</i> (Liv. 21, 18, 4-12) ... ..	65
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ... ..	75
N. MANGEOT, S. J., <i>Horis subsicivis</i> ... ..	83
BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, C. M. F. ... ..	91

# PALAESTRALATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXIX (Fasc. II) — N. 206

M. JUNIO

A. MCMLXIX

---

## LEMMATA VETERUM HOROLOGIIS SOLARIIS INSCRIPTA

Apud antiquos in usu fuere tria horologiorum genera, scilicet SOLARE, ROTATUM, ARENARIUM, de quorum lemmatis, quae mihi saltem fuerint comperta, hisce pagellis agere decrevi. Rem me in primis utilem atque gratam legentibus facturum existimavi, si emblemata hujusmodi, ad solaris potissimum pertinentia, leviter tractanda susciperem. Quae quidem inscriptiones cum fere innumerae sint, et licet pronum mihi foret enumerare singulas, tamen consulto calamum restringam, ut praestantissimas tantum proferam.

Jam ante oculos ponam quinque et viginti lemmata, de quibus aliqua perfunctorie edisserere conabor. Sunt haec:

1. NIL SINE TE: exprimit hominem Deo indigentem.
2. CONCORDI MOTU: denotat majorum exemplum.
3. DIES DIMETIOR UMBRIS: delineat infelicem calamitatem.
4. SI ASPICIS, ASPICIOR: describit ministrum Principis.
5. SI SOL DEFICIT, NEMO ME RESPICIT: indicat aulicum a Principis gratia lapsum.
6. TUO LUMINE: notat dependentiam a Dei gratia.
7. ET LUMINE ET UMBRA: significat vitam humanam.
8. NIL LUMEN, SI DEFICIT UMBRA: designat animi demissionem.
9. DUM PROFICIT, DEFICIT: ostendit hominem non perseverantem.
10. UNDIQUE FIDUM: exponit sinceritatem animi.
11. IN UMBRA DESINO: profert praesentiam Dei necessariam.
12. NON VISU GRESSU: explanat vanam hominis gloriam.
13. NON CEDIT UMBRA SOLI: proponit aemulationem.

14. NULLA HORA SINE LINEA: exprimit orationem assiduam.
15. DOCET ET DELECTAT: monstrat germanam eloquentiam.
16. OCULIS ET MENTI: depingit oratoris effigiem.
17. CUM SOLE ABEO ET REDEO: declarat conformitatem.
18. NOS NIHIL: edisserit humanam debilitatem.
19. A LUMINE MOTUS: explicat gratiae fidelitatem.
20. COMES LUMINIS UMBRA: enarrat zelum et invidiam.
21. SOL GENERAT UMBRAS: signat maestitiae umbras.
22. DIVIDIT UMBRA DIEM: demonstrat felicitatem infelicem.
23. ME PHOEBUS, NON PHOEBE: repraesentat virum justum.
24. PRODIT VESTIGIA LUCIS: ostendit prodromum Christi.
25. NIL NOS PER NOS: DIRIGIT UNUS enodat gratiam Dei esse necessariam.

Ut patet, horologia solaria varias inscriptiones sortita sunt, ita ut solis umbras vel radios emblemate loquentes sistant. Hoc modo unaquaeque inscriptio horologio indita exprimit tum aliquam animi dotem, tum etiam vitium quoddam a nobis propulsandum. Item, subinde quandam Dei notam sive attributum exprimere intendit. Nunc vero paulo fusius eas singulatim discutiamus. Porro, quae hic nobis delibanda sunt, hausimus plus minus ab auctoribus in hac provincia peritissimis. Adi sis, exempli ergo, Ph. Picinellum et Nic. Caussinum, qui hac de re copiose atque erudite disputarunt <sup>1</sup>.

In primis horologium sciothericum, apostrophe ad solem facta, ultro confitetur, sine resplendentis illius planetae presentia, omnem ejus usum esse irritum et inanem. Unde lemma illud: NIL SINE TE. Ita prorsus homo, si Deo careat, in nihilum suum vanissimum relabitur.

Deinde, horologii umbra praeviam solis lucem, ceu horam pedissequam, gressu numquam errante, insequitur. Hujus rei gratia lemma nactum est: CONCORDI MOTU. Quin etiam regularibus umbrae suae variationibus ab uno numero ad alios progredi solitum, diei momenta ac longitudes metitur. Quapropter sortitum lemma: DIES DIMETIOR UMBRIS. Per lemma CONCORDI MOTU, subditi significantur, qui ad majorum suorum exempla unice componuntur: his enim quiescentibus, quiescunt; motis, moventur; operantibus, operantur. Per lemma autem DIES DIMETIOR UMBRIS, miseri illi describuntur, qui infirmitate oppressi, dies suos infelices transigere coguntur. Illi tamen cumprimis «dies suos dimetiuntur in umbris», assiduisque calamitatibus jactantur, qui Deo servire student.

Ceterum, in dies experimur, subditorum obsequia, Aulicis exhiberi solita, unice a Principum gratiis pendere; hisque nonnihil subsidentibus, omne illius honoris studium quamprimum evanescere.

1. Ph. PICINELLUS, *Mundus Symbolicus*, Coloniae Agripinae, 1684. Nic. CAUSSINUS, *Aegyptiorum Sapiencia*, Parissis, 1633.

Proinde id emblemate significaturi, horologium sciothericum depingebant, quod a radiis solaribus illustratus, inscriptionem monstret: *SI ASPICIS, ASPICIOR*. Enimvero, Principe gratiarum radios in clientem suum reflectente, mox omnium oculi in ejus venerationem rapiuntur.

Quidam vero horologio solari inscripsit: *SI SOL DEFICIT, NEMO ME RESPICIT*. Seu brevius: *SI DESERIT, DESPICIOR*. Miseriam hanc cumprimis compertam habent infelices Aulici, qui benigno Principis aspectu nonnihil obtenebrato, mox omnium existimatione destituuntur.

Insuper, Nicolaus Crassus —ut auctor est Picinellus— insignem animum suum gratum erga Bernardum Venierum demonstraturus, seipsum horologii emblemate significavit, cum dicto: *TUO LUMINE*; exprimens hominem suapte industria nec quidquam proficere posse, omnemque ipsius operam ab alterius ope emendicari.

Adde quod hujusmodi horologium e solari radio tum ab umbra, per cognomen sparsa, conficitur. Unde lemma: *ET LUMINE, ET UMBRA*. Vitam humanam ex assidua felicitatis et miseriae vicissitudine compositam, eo lucis et umbrae successione delineatam putes. Hujus rei gratia, Abbas Certanus horologii solaris voce subscripsit: *NIL LUMEN, SI DEFICIT UMBRA*. Ita labore prorsus irritum illustrem virtutum machinam, ut ita dicam, molitur, quisquis animi demissione —sive humilitate—, velut illarum omnium basi ac fulcimento est destitutus.

Patres deinde Theatini ad S. Antonium Mediolani e solari horologio moralem vitae humanae dissimilitudinem proposuere, addito concinno hoc disticho:

Itque reditque viam constans, quam suspicis, umbra:  
Umbra fugax homines non reditura sumus.

Ad haec, solaris horologii umbra, ob assiduam motus sui vicissitudinem, eodem pene momento formari, declinare, ac occidere videtur. Unde illam hoc lemmate satis opportune distinguebant antiqui: *DUM PROFICIT, DEFICIT*. Re vera, qui aetate in dies provector est, ex vitae exercitatione assiduo decrescit.

Est et lemma illud: *UNDIQUE FIDUM*, exprimens scilicet candidum et sincerum animum, qui nullo unquam eventu ad fraudes et mendacia machinanda compelli potest. Ita horologium solare. Hic subit animum dictum Senecae: «Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur praemio» (Epist. 88,6).

Horologium sciothericum, sole suo destitutum, inscriptionem reddit: *IN UMBRA DESINO*. Certe homo, divina praesentia destitutus, in pristinum suum nihilum relabatur. Item, motu penitus inobservato progredi solitum, inscriptionem tenet: *NON VISU GRESSU*, ad exprimendam videlicet animi modestiam, nam illius haec imago est propria, qui operationes suas citra ullam ostentationem, aut verborum insolentiam molitur. Iisdem coloribus etiam vitam humanam, in momen-

ta singula, nobis pene non advertentibus, fugacem depingere licet. Unde Ovidius:

Labitur occulte, fallitque volatilis aetas (Am. 1,8).

Et alibi:

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis (Fast. 6,43).

Etiam aemulatio per solare istiusmodi horologium exprimebatur aliquando. Sic Joannes Trivultius, supremus regis Neapolitani belli dux, symboli sui loco horologium sciothericum praetulit, cujus umbra assiduo suo motu cum illuscescenti sole contendere, eumque non sine aemulationis nota, insequi videbatur. Inscriptionem addidit: NON CEDIT UMBRA SOLI.

Nec praetereundum lemma T. Muggiani, qui parvulum horologium solare supra Breviarium apertum, et signaculis suis bene distinctum, figuravit cum hac sententia: NULLA HORA SINE LINEA. Exprimebat videlicet in orationis exercitio assiduo studio versandum esse. In villa vero Aldobrandini horologium solare cernebatur, quod gracilem cypressum, instar gnomonis, areolas vero, floribus passim respersas, linearum loco monstrabat. Unde Famianus Strada ei indidit lemma hujusmodi: DOCET ET DELECTAT. Eloquentia, congenito sibi more, et «docet et delectat», secundum illud Flacci:

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtae,  
Aut simul et jucunda, et idoneo dicere vitae.

Eidem horologio, inter boni cujusdam areolas delineato, Strada subscripsit: OCULIS ET MENTI. Sacri oratoris hanc effigiem putes, qui nobili sua dicendi ratione, non tantum auditorum animos instruit, sed insuper eorum oculos motuum suorum gravitate demulcet. Gemina hac dote aeternum laudatissimus Pompejus Magnus, insigni sua facundia omnes Romanorum animos rapuit, eosque vultus suavissimi serenitate in suum amorem concitavit.

Lucarinus —teste Picinello— solaris horologii umbram hoc lem-mate loquentem inducit: CUM SOLE ABEO ET REDEO, sentiendi et agendi facultatem, ad omnes grandis cujusdam personae nutus conformatam, hoc emblem-mate significans.

Ceteroquin, horologium solare, quantumvis in justas et aequales suas lineas distributum, deficiente caelesti lumine, vere de se dixerit: NOS NIHIL. Hoc lemma, a quodam patricio usitatum, hoc scilicet significare volebat: hominem, etsi ingenio ac viribus abunde instructum, si tamen Dei lumine destituatur, quamprimum omnem operandi facultatem amittere. E contra, solaris horologio non semel suscribe-

bant veteres: A LUMINE MOTUS. Eorum haec imago est propria, qui divina luce illustrati, ad operandum progrediuntur.

Inter alia permulta lemmata, non possum quin hoc aliud subdam A. Novarini, qui invidiam, velut individuum virtutis pedisequam emblemate significaturus, horologio sciotherico figuravit, quod solari radio vix illustratum, quamprimum funesta gnomonis sui umbra aspergitur. Inscriptionem addidit: COMES LUMINIS UMBRA. Quod ut explicaret sequentia disticha addidit Novarinus:

Pinge mihi, pictor, radiis Totana coruscum,  
Signat ubi lucis linea picta viam.  
Qua stilus aligeri discrimina temporis index  
Monstrat, et horarum ferreus urget iter.  
Aemula Phaebeci COMES ERRAT LUMINIS UMBRA.  
Picturae inscriptas has superadde notas,  
Caelite seu Phaebus radiorum lucidus euro,  
Haud potis est umbram pellere luce levem.  
Sic ubi clara ingens vestigia gloria figit,  
Invida pene tenet, pariter umbra fugat.

Praeterea, nulla in vita felicitas integra in nos illabitur, quin cum luce sua aliquas maestitiae umbras in animum nostrum spargat. E solaris horologii schemate id discebatur, quod a planeta suo illustratum, inscriptionem monstrat: SOL GENERAT UMBRAS. Has enim sol non ipse sed gnomone interveniente jacit. Quod si delicatior philosophus hanc inscriptionem minus probet, certe alteram respuere non poterit: DIVIDIT UMBRA DIEM. Experientia enim firmatum habemus, quemcumque diem, utut felicem ac prosperum, nigro suo calamitatum theta inumbrari.

Longum nimis est, ac plane infinitum, si omnia lemmata commemorare hic velim. Solummodo haec alia tria proferam, ut totam rem conficiam.

Lemma erat horologio solari inscriptum: ME PHEOBUS, NON PHOEBE. Quasi diceret: luna res transitorias, instabiles, ac mundanas, Sol vero genuinam Dei speciem seu notionem —ut sic loquar— repraesentat. Id est: homo justus huic exemplari accommodatus directionem ac lucem suam non quidem a mundo, sed a solo Deo exspectat. Quod quidem hi versus explicant:

Phoebi nitor me lustrat, haud Phoebes jubar;  
Mortaliū lux luna; justorum Deus.

Altera inscriptio erat: PRODIT VESTIGIA LUCIS, horologio solari inditum ad significandum Servatoris nostri prodromum, hoc est J. Baptistam, quod peculiari suo officio ad omnes clarissimi Planetæ gres-

sus delineandos destinatus est. Mater Ecclesia hac illum apostrophe veneratur: «Tu quidem mundi scelus auferentem INDICE PRODIS.»

Tertium emblemata Blasius Palma scripsit in hunc modum: NIL NOS PER NOS: DIRIGIT UNUS. Quasi denotans, tantam esse hominum vilitatem, ut, sicuti omnes horologii illius numeri sine sole, ita nos sine Dei auxilio nihil posse. Nam UNUS DIRIGIT. Reapse, nec nos pollemus miseri ubi se subtrahit ea benigna Numinis vis, quae sola moderari nostros animos, idoneosque efficere ad pulcherrima opera subeunda, feliciterque peragenda, potest.

Sed finis esto, ne latius quam par est haec commentatiuncula augeatur, nam longius quam proposueram producta est. Alia si quis desideret, consulat auctores, qui multa et proluxe de re disseruerunt. Quae fusius ab eis tractata sunt, hic pro meo lubitu in pauca colliganda duxi, ut summam quandam referrem, quam legentibus probatum iri confido.

LEO E. SANSEGUNDO, O.S.B.

In Abbatia Montiserrati ad Barcinonem in Hispania



# CONCORDES FRATRES\*

Ut turba solido constrata bitumine fervet  
quae nigrante solo Selma via ducit ad urbem  
egregiam, caput indomitae praestans Alabamæ!  
Haud aliter fluvius tumefactis fluctibus altas  
mox egressurus praelambit gurgite ripas,  
immotae lentis circumstant frondibus orni.  
Omnibus ast una color est gradientibus unus,  
namque nigror quidam coeuntibus inficit ora,  
atque ebum referunt spiissi crispique capilli.  
Nullus conferto gradientum ex agmine clamor  
exoritur, liquidas compressum at murmur ad auras,  
qualis sedato delapsus gurgite Congus  
immensus nemora alta secat, procul atque remotis  
undarum raucus sonus exauditur in oris.  
Quid sibi corde volunt? Quid quaerunt, agmine certum  
denso iter ingressi? Socios quae causa coegit  
dissita quos genuit variis regionibus ora?  
Libertas: eadem est haec omnibus una voluntas.  
Qui nuper, natis caraque uxore relicta,  
pro dulcis patriae libertate atque salute  
sustinuere pii gratae discrimina vitae,  
nec timere truci fortes occumbere morti,  
civili haud pariter cives nunc jure fruuntur.  
Quin, pueri nigra obducti caligine vultus,  
quamquam animus tener est illis, et lumina risu

---

\* Carminis argumentum sumptum est ex itinere, quod Americani, nigro colore insignes, duce Martino Luthero King, fecerunt. Qui a. d. XII Kal. Apr. anno MCMLXV Selma, ex urbe praeclara Alabamæ rei publicae profecti, Montgomerium, quod est ejusdem reipublicae caput, contenderunt, ut aequata cum ceteris Americanis civibus Foederatarum Civitatum jura, omni discrimine deleta, sibi vindicarent. Cujus itineris complures cives, albo colore conspicui, participes fuerunt, qui ex omnibus Foederatis Regionibus convenerunt, ut justis nigrorum civium postulationibus auxiliarentur. Inter quos Viola Liuzzo, quae dum automato vecta una cum quodam nigro adulescentulo domum redit, duabus glandibus ab altero automato manuballistula projectis petita, una glande per collum transfossa, mortua est.

blanda micant, sociis nequiquam brachia tendunt,  
 incedunt albo qui membra colore decori,  
 exercere sibi ut liceat cupientibus una  
 ludos, qui pueros inter se cordibus aequant.  
 Publica nulla adeunt aequali munera jure,  
 segregibus miseram semper consumere vitam  
 illis in luctu et tristi moerore necesse est.  
 Qui cute procedunt alba persaepe superbi,  
 sive viis urbis, seu ruris tramite amoeni,  
 si tumidus labia occurrit quis, simus et ora,  
 oblitus et nigrore genas, fastidia vultu  
 produnt irati, aut risu torquentur amaro.  
 Haec secum volvit gradiens haud immemor, urbem  
 qui petit infensam nullis grex praeditus armis.

Heu, qui nos referat sollicitos ventus in Africam?  
 Jam dudum cupimus visere quod nos genuit solum,  
 nostris usque flagrat cujus amor cordibus unice.  
 Mater, namque piis semper ines mentibus, Africa,

nostrum olim deseruit quam miserum genus.  
 Sed non sponte sua, ast impositum nave super mala,  
 ut vinctum Oceanum compedibus traiceret feris.  
 Tu nunc sola potes pectoribus sollicitudines

tristes demere, quae saeve animos exagitant diu.  
 Tellurem patriam visere quam dulce foret mihi!  
 Fido quis memoret nunc animo gemmiferum solum,  
 ignotasve memor quis doceat me immemorem vias?

Semper sed tamen hoc exsilio demoror effero,  
 glebae servus ubi frugiferae jam periit pater.  
 Alba conspicui pridem homines despiciunt cute  
 me temnuntque mali, membra rudi quod nigra sunt mihi,

ac vitae fugiunt participem jungere me sibi.  
 Cur? Nil paeniteat me esse nigrum! Pectore palpitat  
 purus casto animus. Sum niger, at candida mens mihi est.  
 Si me respicias ora nigrum lumine amabili,

evanescet iners ut nebula hic qui color inficit  
 atras usque genas, caeruleus nimbus uti polum.  
 Ut sim membra niger, splendet amor pectore sub meo.  
 Hunc expende, precor: tunc similis visus ero tibi.

Haec tunc quisque sua commotus mente volutat,  
 cum pede progreditur certo per amoena viarum.  
 Ast ubi decedens sol summa cacumina tinguit  
 arboribus, nitet et roseis jam nubibus aer,  
 cum sibi quaerit avis magnis stridoribus artum  
 deversoriolum, capite ut posito defessa sub alis  
 una cum natis de nocte quiete fruatur,  
 substat tunc sparsum viridantibus agmen in agris,  
 exiguoque cibo paulisper membra relecti,  
 inter se deinceps concordi rarius ore  
 verba serunt, alius donec silet inde quietus  
 post alium, caeloque omnes defixa sereno  
 ora tenent, procul at trepidanti corde vagantur.  
 Desuper arridet depictum sidere caelum  
 innumero, facibusque nitet fulgentibus aer,  
 luna polum tenui exoriens discriminat arcu,  
 limosis querulusque gemit ranunculus undis,  
 arboribus gliscit late frondentibus umbra.  
 Nox atra in terris, micat ast in cordibus ignis.  
 Nunc procul ad patriam sibi quisque redisse videtur  
 atque tuam in tenebris speciem dignoscere tandem,  
 Africa, quam nemo praelonga aetate revisit,  
 quam tamen in fido nunc omnes pectore servant.

Terras, heu, recolo mente pia memor,  
 quas torret radiis sol male fervidis,  
 venti at flamine vexant,  
 verrentes calidum solum.

Illic planities cum sabulis vagis  
 nulla fructifera fertilis arbore:  
 lentus mole camelus  
 vadit momine cymbulae.

Immenso ast spatio frondibus insitae  
aeternis siluae rore virent humi,  
vastis omne ferarum  
desaevit latebris genus.

Nostrum illuc utinam nunc redeat genus  
demum saecula post plurima liberum,  
trascurrens mare salsum,  
servi quod superavimus!

Illic et fluvii per silvas fluunt,  
audax lintre secat quos niger incola:  
interdumque fragosae  
saxis desiliunt aquae.

Atrox innatat hic luminibus vagis  
praedarum cupidus dentibus ingruens  
infestus crocodilus,  
terraque ova premit catus.

Hic et silva fremit simiolis frequens,  
qui cauda celeres germina tortili  
ramorum recidiva  
saltu corripiunt levi.

Caute sentibus hic abditus intimis  
substat corde tremens hinnuleus, novas  
fragrans seu movet herbas,  
seu ventus folia arborum.

Interdum teneras dentibus herbulas  
rivi propter aquas aut nemore invio  
carpit dammula dulces,  
heu, fati inscia proximi.

Saevus namque leo, seu tigris impetum  
in tardam faciunt, atque necem inferunt,  
sedent ut male pasti  
praeda sanguinea famem.

At vellem tamen hic degere, nescius  
curarum, placidam in perpetuum procul  
omni compede vitam,  
exactam arbitrio meo.

Nec me paeniteat quaerere callidus  
arcus auxilio, sicut avi, cibum,  
falsam aut piscibus escam  
undis proicere amnium.

O quam dulce mihi nunc foret aviis  
errare in siluis, implicitos ubi  
ramos cum foliis et  
truncos conseruit nemus!

At cum sideribus nox nitet, et polo  
fuscis luna micans nubibus exsilit,  
exhalare videtur  
mirus floribus tunc odor.

Quod si forte animum per tenebras leves,  
divinum sonitum percipias vigil,  
caelum qui maria atque  
terram permeat intimam.

Illic sorte queam propitia mori,  
oris spiritus ac dum superis volat,  
in tellure quiescam  
una cum proavis meis.

Interea tenebris caelo jam noctis abactis  
sol oritur, tinguit roseaque cacumina luce  
arborum, et undantes subter exsuscitat umbras.  
Excitae aves laetis implent stridoribus arva,  
et circum sparsae per agros sibi pabula quaerunt.  
Omnes certatim nocturna cubilia relinquunt,  
quae sibi quisque dedit, cupida sed carpere cuncti  
mente viam properant, urbis quo moenia gnavi

infensae citius subeant. Denso agmine facto,  
 durum iter ipsi iterant, qui nuper pectore dulcem  
 expulerant tamquam victi spem, fortia certi  
 nunc facere atque pati justa ut sibi munera dentur.  
 Quo magis accedunt urbis sub moenia magnae,  
 caelum nimborum paulatim nubibus atrum  
 occulitur, tristis late diffunditur umbra.  
 Ast in corde facem praelapso ex tempore nutrit  
 quisque suo, passus celeres quae illuminat usque.  
 Tandem ad tecta pedum numeris concordibus urbis  
 deveniunt. Hinc inde vias et compita multos  
 armis ornatos miles deserta tuetur.  
 Plurima sed dives jam pridem est clausa taberna,  
 plurima tectorum nec non est juncta fenestra.  
 Opprobia atque minae muris descripta domorum  
 excipiunt lente gradientes passibus aequis.  
 Quos ira accensus praeses scrutatur et urbis,  
 in sede officii tantum modo clausus inepte,  
 per rimas oculos frustra tenditque fenestrae.  
 Procedunt tacite juncti justo ordine cuncti,  
 nulla ex ore suo infesti convicia jactant.  
 Qui tamen est tanti sapiens dux agminis, omnes  
 haec rogat interdum socios: «Quid vos juvat?». Illi:  
 «Libertas!» clara respondet voce locuti.  
 Concordes una sic progrediuntur honeste,  
 concentu veluti patrio per moenia ducti,  
 tamquam tacta crepent tantummodo tympana tandem.  
 At secum interea haec taciti sub pectore volvunt:

Quae vox ab arvis Virginiae venit?  
 Qui fletus aures perculit ex Cuba?  
 E Carolina exaudiuntur  
 qui gemitus miserique cantus?

Caliginoso pervenit aere,  
 heu, maestus multis huc lacrimis modus,  
 concentus et chordis ab Harlem  
 flebilibus modulatus angit.

At quem dolorem non tulimus gravem?  
Nostrum quibusnam jam opprobriis genus  
expers fuit? Vel quo flagello  
corpora non doluere nostra?

Defixus olim funerea cruce  
inter scelestos flagitii reos  
humana clemens, Christe, damna  
morte tua scelerum luisti.

Et nos, genas quos nigra cutis notat,  
quos prorsus albi despiciunt, tuo,  
aeque atque fratres discolores,  
sanguine tunc fuimus redempti.

Fato ast iniquo nunc etiam mei  
nati superbo spreti odio gemunt,  
quamquam ferax haec terra nostro  
laeta labore viget dolenti.

Poena at quod insons excrucior gravi  
non est molestum. Suscipio mihi  
omnes dolores atque luctus  
pro genere usque hominum libenter,

aeterna non ut victima concidam  
ara perenni, praemia sed pius  
victricis haud incerta vitae  
ut referam in miserum dolorem.

Quod multa jam per saecula providis  
insons ruinis urgeor anxius,  
haud corde lamentor: supina  
gleba viret subeunte aratro.

Frustra salutem nunc homines sibi  
quaerunt: quod illi solliciti valent  
afferre nequaquam labore,  
fors feret hoc nigra gens dolore.

Formidolosis perdita somniis,  
prostrata dormis quae nimis, Africa,  
te solve funesto sopore,  
atque vigil nova conde saecula!

Nunc totus ardet nubibus et polus  
late rubescit: sol oritur micans,  
qui luce pridem dormientes  
excitat aetheria refulgens.

Fratres, quietem pellite desidem,  
nullis humi qua viribus inscii  
fati jacetis: vos, sorores,  
auxilio unanimos juvate!

Vivo laborans germine parturit  
tellus recluso frugifero sinu:  
ex integro volventur anni  
propitii populis futuris.

Mater, vetustis quae siluis lates,  
velox ubi errat pardus et avia,  
terram ungula signans fugaci,  
lustra petit necibus cruentus,

oppressa curis quae gravibus doles,  
diro veterno denique te eripe,  
fractis catenis servitutis,  
Africa, surge, iter atque perge!

Haec secum recinunt commoto pectore, donec  
per tacitam mutis procedunt civibus urbem,  
qui limis oculis adverso et corde sequuntur  
protinus aequato gradientes ordine passu.  
Ast ubi deveniunt claras ad praesidis aedes,  
illum nequiquam precibus conantur adire,  
ut quae jura petant urbana exaudiat aure.  
Haud secus ac cautes, tumidi frustra aequoris undis  
ardua quae petitur, saevis at fluctibus obstat,  
sic audire preces immobilis ille recusat,  
consilioque suo defixus denique perstat,



nec quid fas, quid jus humano sanciat aequum  
 omnino generi curat, sua dicta secutus.  
 Ast illis ideo mens non demissior: immo  
 infensos justis cives clamoribus urgent.  
 Namque animis constans est omnibus una voluntas,  
 oribus e tumidis vox et profunditur una:  
 «Libertas», quae saepe vias et compita replet.  
 Decidit interea saeptus sol nubibus atris,  
 vesper adest maestis cunctis, quibus advenit hora  
 qua frustra impigri tantisque laboribus actis  
 agmine nocte domum repetant instante soluto,  
 quisque suam. Jam discedunt, sed semper eadem  
 inter se certa conjuncti mente tenaces,  
 jure pares ut sint, omni discrimine dempto.

Tu quoque, longinqua natis in urbe relictis,  
 venisti, Viola, huc audax cum pluribus una,  
 justitia ut victrix servetur legibus aequa.  
 At tibi in ore rosae florent et lilia, fulgent  
 atque superciliis subter tua lumina, flavo  
 crine nites, caput intortis circumdata cirris.  
 Nunc properas remeare domum sed omnia circum  
 caligant loca paulatim gliscentibus umbris.  
 Cauta ideo automato procedis: dant tibi lucem  
 atque viam monstrat accensa electridis unda  
 fulguræ quae nitido lustrant funalia terram.  
 Frigidus ac tenuis de caelo decidit imber,  
 automatique vitrum stillis inlapsus opacat,  
 itque reditque volans alterno regula motu,  
 longius ut pateant oculorum per vitra visus.  
 Triste quid exhalat lambitque bitumine tectam  
 foeda viam consaepa palus frondentibus alnis.  
 Perfusus dormit languentia membra sopore,  
 qui puer albenti dextra niger adsidet illi.  
 Cum subito automatum nullo clangore tubarum  
 alterum adest, pariter quod currere pergit  
 tamquam si comes esse viae sociusque laborum  
 nocte velit. Viola exsultat commota inopino  
 praesidio, tristisque metu prope corde soluta.  
 Extemplo fractus duplex fragor increpat, atque,

decidit ut calamo succiso molle papaver,  
narcissusve tener, vel sole nitens hyacinthus,  
tunc caput effuso Viola udum sanguine flectit,  
perpetuoque operit fulgentia lumina somno.

Horruit humanum genus atro crimine tactum,  
nec suadere sibi poterant in cordibus aegra  
invidia caecoque odio tam saeva agitari,  
ut teneram possent inimici caedere vitam.  
justitiamque mali omnino vi tollere sanctam.  
Frustra: namque tuo, Viola, ipso sanguine foedus  
perpetuum est junctum. Mox illucescet et ille  
felix optatusque dies, cum insana similtas  
decidet ex animis hominum, nec qui color artus  
aequales decoret mortalibus, albus an ater,  
intererit nil, ast omnes cogemur in unum,  
concordesque erimus nullo discrimine fratres.

Prof. THEODORUS CIRESOLA

Viale Brianza, n. 22

MEDIOLANI (20127 Milano) in Italia.

# ORATIO PRINCIPIS CARTHAGINIENSIS

LIV., 21, 18, 4-12

—de Sagunto, jure everso, et de bello quod inter Romanos  
et Poenos imminet—

*Aliam proponimus T. Livii orationem, quam ex parte tantum adnotationibus declaramus.*

*Legati, qui, Carthaginem missi, Romam redierant, omnia hostilia esse rettulerunt atque Sagunti excidium nuntiarunt.*

*Tunc tantus, hoc audito nuntio, patres cepit maeror atque misericordia sociorum —qui indigne perierant—, tantus pudor non lati auxilii et ira in Carthaginenses, tantusque simul metus de summa rerum, ut si jam ad portas Romae hostis esset.*

*Compositis tamen rebus ad bellum, ut aequa justaque omnia ante bellum fierent, legatos Carthaginem mittunt ut percunctarentur utrum publico an privato consilio Hannibal Saguntum oppugnasset, quod si publico consilio factum faterentur, populo Carthaginensi bellum indicerent.*

*Cum autem legati Carthaginem venissent et Q. Fabius id unum quaesisset, tum unus ex principibus Carthaginensibus contendit Poenis licuisse bellum Saguntinis denuntiare, cum in pacto, cum Hasdrubale icto, de seguntinis nihil esset cautum.*

*In qua oratione animadvertenda sunt:*

1. *dicendi genus medium esse videtur siccum et gravibus sententiis distinctum;*

2. *periodi non tam amplae sunt ut in oratione Alorci, et mitiore quodam procedunt cursu: quo et sententiae captu sunt faciliores;*

3. *crebrae membrorum oppositiones, quas ut commodius percipias, orationem speciali modo infra digerimus. Ibi enim non tantum verba verbis opponuntur, quo concinnitas et parallelismus enascitur, sed et sententiae aliae aliis perpetuo repugnant.*

LIV., 21, 18, 412:

- 4 «Praecepta vestra, Romani, et prior legatio fuit,  
cum Hannibalem tamquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis;  
ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est,  
re asperior.  
Tunc enim Hannibal et insimulabatur et deposcebatur;
- 5 nunc ab nobis et confessio culpae exprimitur.  
et ut a confessis res extemplo repetuntur.
- 6 Ego autem non privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit  
quarendum censeam,  
sed utrum jure an injuria.
- 7 Nostra enim haec quaestio et animadversio in civem nostrum est,  
quid nostro aut suo fecerit arbitrio;  
vobiscum una disceptatio est,  
licueritne per foedus fieri.
- 8 Itaque quoniam discerni placet, quid publico consilio,  
quid sua sponte imperatores faciant,  
nobis vobiscum foedus est a C. Lutatio consule ictum,  
in quo cum caveretur utrorumque sociis,  
nihil de Saguntinis —necdum erant socii— cautum est.
- 9 At eo foedere, quod cum Hasdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur.  
Adversus quod ego nihil dicturus sum, nisi quod a vobis didici.
- 10 Vos enim quod C. Lutatius consul primo nobiscum foedus icit,  
quia neque auctoritate patrum nec populi jussu ictum erat,  
negastis vos eo teneri;  
itaque aliud de integro foedus publico consilio ictum est.
- 11 Si vos non tenent foedera vestra  
—nisi ex auctoritate aut jussu vestro icta—,  
ne nos quidem Hasdrubalis foedus  
—quod nobis insciis icit—,  
obligare potuit.
- 12 Proinde omittite Sagunti atque Hiberi mentionem facere,  
et, quod diu parturit animus vester,  
aliquando pariat.»
- 13 Tum Romanus sinu ex toga facto «Hic» inquit «vobis bellum et pacem  
portamus: utrum placeat, sumite».  
Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet,  
succlamatum est.
- 14 Et cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset,  
accipere se omnes responderunt et,  
quibus acciperent animis,  
isdem se gesturos.

- 4 *Praeceptum*: adjectivum initio sententiae praepositum, quod multiplici ratione eminet: quia praecedit et simul separatur a suo substantivo (*legatio*) eique praepositur. Hoc est igitur praecipium orationis vocabulum, in quo vox fortiore quasi ictu innititur, resque sensu confirmatur («Romani: legatio vestra prior fuit etiam *praecipium*»).

*vestra*: praestat antepositione et separatione a substantivo.

*Romani*: locus vocativi proprius: post aliqua verba, non initio orationis: inspicere quo modo in mediam orationem procedat et quasi in medium arcum prostet:

*Romani*  
*Praeceptum vestra*                      *et prior legatio fuit.*

*et*: sensu suo primigenio —quo cum particula graeca τε conjungitur— et valet: «etiam, quoque» (cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*<sup>2</sup>, 1964, § 424, p. 440).

*prior*: praestat ex praecedenti particula copulativa-confirmativa *et*.

*fuit*: locus verbi communis: in fine orationis.

*cum Hannibalem*: *cum* temporale: «eo momento, eo tempore quo»; *Hannibalem*: initio propositionis temporalis elucet.

*tamquam*: haec particula inducit propositionem comparativam-condicionalem: in qua comparatio hypothetica inest; aliquando particula condicionalis *si* deest et restat tantum modo comparativa *tamquam*. —Modus est subjunctivus: nam hae orationes comparativae-condicionales —praesertim vero cum particulis *quasi*, *tamquam*, (*si*)— severiore consecutione temporum adstringuntur: «Aristippus, *quasi* animum nullum habeamus, corpus solum *tuetur*» Cic. *Acad.*, 2, 139. «Parvi primo ortu sic *jacent*, *tamquam* omnino sine animo *sint*».

Hic tamen, et alias, hanc particulam (*tamquam*) conjunctam cum participio habemus (*tamquam oppugnantem*): quod raro apud Ciceronem et Caesarem legimus, frequentius tamen apud Livium et scriptores posteriores.

ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, § 380-382, pp. 388-390;

MENGE, *Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*<sup>14</sup>, 1965, n. 392, *Anm.* 3;

M. BASSOLS, *Sintaxis latina*, 1963, vol. I, n. 405, p. 386.

*suo*: substantivum praecedit, ideo praestat; opponitur consilio *Poenorum* (= *nostro*).

*consilio*: ut comparatio et oppositio acrius perspiciatur (*suo* × *nostro*) particulae *tamquam* proxime subjungitur.

*oppugnantem*: aptius et frequentius, ut supra diximus, *tamquam (si) oppugnasset*.

*deposcebatis*: verbum compositum quo, fere semper, verbi actio momento facta significatur; intentior notio et vis verbi et ex forma incohativa —*sc*— et ex praeverbio intentivo *de*— enascitur, quo sensus verbi pressius definitur; *posco* est verbum incohativum quod etymologice cum vocibus *preces*, *precor*, *procus* conjungitur, cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue lat.*<sup>4</sup>, 1959, s. v. *posco*). —Animadvertite gravissimam clausulam: *ōppūgnāntēm dēpōscēbātīs*.

*ceterum*: apud Sallustium, Livium, Tacitum saepe idem valet ac *sed*.

ERNOUT-THOMAS, § 430, p. 448.

*verbis adhuc lenior est*: praeponitur vox *verbis* et sejungitur a *lenior*, quo amplius praestat.

*adhuc*: refertur semper ad tempus praesens [= «ad hoc tempus»], et dicitur *etiam nunc* in propositionibus affirmativis et *nondum* in negativis. Quod si sensus ad rem praeteritam refertur, dicitur *etiam*, *etiam tum*, *tum etiam*, *ad id (illud) tempus*, *ante illum diem*. Attamen, apud Livium et alios scriptores habetur in praeterito et futuro: «Cum vigerem *adhuc* viribus» LIV., 28, 40, 10 [*alors que j'étais encore — entonces cuando aún estaba — allora quando io era ancora*]. — Hic vero Livius utitur *adhuc* cum comparativo (*adhuc lenior*), quod apud Ciceronem non invenitur, pro *etiam*: «Dic *etiam* clarius» (= *adhuc*). «*Adhuc difficilior*» (QUINT. *Inst. orat.*, 1, 5, 22).

MENGE, *Repetitorium*, n. 477; 199, 6.

PAOLI, *Scriver latino*<sup>2</sup>, 1965, § 182, 1-2.

*re asperior*: maximam habes sensus oppositionem seu *antithesim*: quae ut augeatur neque conjunctio adversativa (*sed*) adhibetur (= *asyndeton*), neque verbum in extrema orationis parte («*re asperior*» = *est*); estque vera «concinntitas», in qua tamen altera pars cum priore duobus tantum verbis consonat:

*verbis adhuc lenior est,*  
*re asperior.*

Summa in fine periodi brevitatis —cum oppositione— et partium inequalitatem (*desequilibrio*) parit et rei admirationem movet (cfr. MAROUZEAU, *Stylistique lat.*<sup>4</sup>, p. 298.); quae ex clausulis

significantiora etiam fieri videntur, altera enim finit cretico et pacone primo, altera vero tantum pacone primo:

verbīs ādhūc lēnīōr ěst,  
re āspĕrīōr.

*Tunc*: quod adverbium initio orationis praestat, praesertim ex oppositione cum sequente *nunc*.

*enim*: locus in oratione aptus; nam semper postponitur.

*et... et...*: quibus particulis inducitur enumeratio; et inest in verbis quaedam gradatio et parallelismus —amplior et productior in altera parte—:

*Tunc enim Hannibal et insimulabatur et deposcebatur;  
nunc ab nobis et confessio culpa exprimitur et ut a  
confessis res extemplo repetuntur.*

*insimulabatur*: insimulare est 'aliquem crimine [falso] accusare' (conjungitur cum *similis* — *assimilo* — *dissimilo*...).

- 5 *confessio culpa exprimitur*: on veut tirer de nous à toute force un aveu de culpabilité (GAFFIOT, *Dictionnaire illustré latin français*, s. v. *exprimo*) — se nos quiere arrancar la confesión de nuestra culpabilidad — si pretende, si esige da noi la confessione della colpa.

*res*: Romani aliquando voces indefinitae et generalis significationis usurpant, quin tamen sensus obscurus fiat; adhibent vocem *res*, quae saepe locum tenet substantivi magis definiti, de quo supra actum est, aut cujus sensus facile percipitur:

«*Res praetoribus nota erat*» (= *secretum*) CIC., *in Cat.*, 3, 2, 6;

«*Audita re*» (= *eventus*) CIC., *Ibid.*, 3, 3, 7;

«*Res loquitur ipsa*» (= *ea quae facta sunt, eventus*) ID. *pro Mil.*, 20, 53.

«*Minime mirum si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est*» (= *historia*) ID., *de orat.*, 2, 13, 55.

BERGER, *Stylistique lat.*, § 105 bis, p. 286;

GANDINO, *Lo stile latino*, V, 3, 21;

ISSELE, *De latinorum sermone*, n. 10.

*extemplo*: 'ilico, statim, ex tempore, e vestigio, confestim, protinus, continuo; proprie = *continuo ab exitu ex templo*, id est *protinus, sine ulla mora*.

*repetuntur*: animadvertite sensus connexionem in tota periodo cum parallelismo et antithesi:

*et insimulabatur* [= crimine falso accusabatur]

*et confessio culpae exprimitur* [= quod est omnino contrarium superiori verbo *accusabatur*; nam qui *tunc accusabantur*, *nunc culpam confiteri tenentur* ut veri rei: ergo non fuerat falsum crimen].

*et despocebatur* [= *deposcere* est 'vehementer postulare'; cfr. supra Liv. 21,6,8: «ad ducem ipsum in poenam foederis rupti *deposcendum*»; et Id., 31, 10, 13];

*et ut a confessis res extemplo repetuntur* [= *tunc* Hannibalem postulabatis; *nunc* autem, a nobis culpam nostram confitentibus, res repetuntur, id est de illato damno compensationem expostulatis].

Numerum considera:

*insimulabatur ēt dēpōscēbātūr  
ēxtēplō rēpētūntūr.*

€ *Ego*: praestat eo quod:

- apponitur,
- maxime a verbo separatur [*ego... censeam*],
- [universae praeponitur orationi],
- ex oppositione quae apparet in adversativa «*sed* utrum...»

*autem*: intime cum *ego* conjungitur atque majorem tribuit vim: *ego autem* = «ego ex mea parte».

*non*: eminet, nam separatur a suo verbo: *non... censeam*.

*privato publicone*: haec adjectiva substantivo *consilio* praeponuntur: quo eminent. —*Ne*: particula quae adhibetur in quaestione indirecta disjunctiva; frequentius habetur: *utrum... an*: «non censeam quaerendum [esse]: *utrum* privato consilio *an* publico Saguntum oppugnatum sit»; hoc tamen loco tantum adhibetur —*ne* in altera quaestionis parte ut alibi: «Adeo ut in incerto fuerit... vicissent victine *essent*» Liv. 5,28,5.



Hac tamen quaerendi ratione usus est Livius fortasse quia infra habetur *utrum jure an injuria*.

*Saguntum*: in media oratione, sed praestat.

*oppugnatum sit*: proxime pendet a *quaerendum* [esse]; ita verba hujus sententiae digerere oportet: «ego autem non censeam quaerendum [esse] Saguntum privato publicone consilio oppugnatum sit». — *Oppugno* = *ob-pugno*: 'aggredior, adior, invado, impugno'.

*quaerendum*: ut supra dictum est, pendet a *censeam*: «non censeam quaerendum»; et hoc verbo interrogatio indirecta duplex inducitur sine particula *utrum* in prima parte, et —*ne* tantum in altera.

*censeam*: subjunctivus *deliberativus*, notione adjecta succensi commotique animi: quo subjunctivo de re agenda quis quaestionem ponit; particula negativa est *non*: quae hic adhibetur *non... censeam*.

Hunc subjunctivum deliberativum saepe nos alio modo vertimus in nostras linguas:

*quid faciam?* *was soll ich thun?*  
*qué voy a hacer, qué debo hacer?*  
*che fare, cosa devo fare?*  
*que faire? que dois-je faire?*

*utrum jure an injuria*: consequitur alia interrogatio indirecta duplex, sed adhibitis usitatis particulis: *utrum... an*. — *Jure - injuria*: sunt ablativi modi (Cfr. ERNOUT-THOMAS, & 117, p. 96). Alterius partis periodi brevitatem, in qua «verba» desunt, iterum animadvertite.

7 *Nostra*: maxime praestat:

- quia substantivo praeponitur,
- ex disjunctione cum ipso substantivo,
- ex sensu auctivo seu intentivo: nam est  
 luculenta cum voce *vobiscum*, in altera orationis parte, oppositio.

*quaestio*: *la inchiesta* — *el investigar, el inquirir*, — *enquête, information, soumettre à la question*.

*animadversio*: 'vituperatio, reprehensio, incusatio; poena'. Quod si hoc loco *animadversio* 'poenam, punctionem' valet, hac ratione sententia distribuenda et intellegenda est: «haec enim quaestio —quid nostro aut suo fecerit arbitrio— atque animadversio in civem nostrum *nostra* est». Vide igitur quo modo

*nostra* emineat quidque significet; *hoc ad nos pertinet, hoc nostrum est.*

*civem: civis* non 'conconcivis'; hoc enim substantivum posterioris est aetatis.

*nostro aut suo fecerit arbitrio:* bis in oratione eminent et quia possessiva praecedunt et quia a substantivo sejunguntur.

*est... fecerit: consecutione temporum* haec verba apte inter se conferuntur; *fecerit:* in subjunctivo, quia est propositio interrogativa indirecta [= quaestio *est... quid fecerit*], et refertur ad rem *praeteritam*.

*vobiscum:* initio orationis ex oppositione seu antithesi cum priore membro: *nostra* × *vobiscum* [= *nostra cum vobis*].

*una:* magna ornatur vi, ex antithesi.

*licueritne:* a verbo licet.

- 8 *Itaque:* particula «conclusiva», qua aliquid, ex iis quae supra dicta sunt —ex facto aliquo— colligimus; conecit igitur duas sententias quarum altera consecutaria e superiore infert; praeit semper orationi [*itaque: «ita-que»: initio significat: et aussi — y así, y de esta manera*].

PAOLI, *Scrivere latino*, § 287;

BERGER, *Stylistique lat.*, § 153;

ISSELÉ, *De latinorum sermone*, n. 267;

LLOBERA, *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone, 1920, n. 381;

BASSOLS, *Sintaxis. lat.*, II, n. 130.

*quoniam:* initio sensu temporali —qui est apud Plautum, *Trin.*, 14; *Mil.*, 129-130— adhibetur; deinde sensu tantum causali: *poichè, dal momento che — du moment que, puisque — puesto que, ya que.* —Particula composita ex *quom* (*cum*) et *iam* = *quoniam*.

ERNOUT-THOMAS, *Synt. lat.*, 345 b, p. 347;

ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymolog.*, s. v.;

PAOLI, *Manuale Sint. lat.*, § 295, 3.

*Animadvertete: itaque* conjungenda est cum propositione principali: «nobis vobiscum foedus est... ictum»; *quoniam* conecitur cum «discerni placet».

*discerni placet* [*dis-cerno: 'separando (dis-) video (cerno)' = distinguo*]: «si vuol fare una distinzione». Haec autem oratio

inducit interrogativam indirectam, quae sequitur: *quid... faciant*.

*quid... quid*: vehementiore animo dictum, ex repetitione (*quid... quid*), quam si tantum dixisset: «quid publico consilio aut sua sponte imperatores faciant».

*publico consilio*: adjectivum *determinativum* seu *discretivum*, quod —ut scimus— plerumque subsequitur; *publicus* tamen ex ipsius adjectivi vi et sensu sacpius in oratione eminet (ex oppositione cum adj. *privatus*) et ideo praecedit.

*sua sponte*: possessiva sunt *discretiva* seu *discriminantia*; quare substantivo subeunt (*pater noster — frater meus...*); at praecedunt in locutione *sua (tua, mea) sponte*, et hic ordo fere semper a Caesare et a Cicerone servatur: quia res, a se ipso facta, signanter asseritur.

MAROUZEAU, *Ordre des mots en latin*, vol. complem., n. 49.

*nobis vobiscum*: voces, quae singulari quadam ratione opponuntur aut conjunguntur, saepe juxta ponuntur; cfr. supra in oratione Alorci Liv. 21,13,2: «quod *mihi vobiscum*»; «*vestra vos... arma*» (*Ibid.*, 4), «ab *Romanis vobis*» (*Ibid.*); «*fortuna vestra vobis* suadet» (*Ibid.* 8) (cfr. *Palaestra Latina*, 38 (1968), 158-161).

*Est... ictum*: verbum *esse*, usitata forma, subsequitur participium (*ictum est*); praecedit verbum *esse* cum hujus verbi actionem seu vim vehementer confirmatam volumus; hoc loco et verbum *est* eminet, quia praecedit, et ipsum participium *ictum*, in quod mens quasi defigitur, quia a verbo (*est*) separatur.

*utrorumque*: praest *sociis*, et praestat; «mentre si presero precauzioni; benchè si desse garanzia per gli alleati d'ambidue».

*nihil de Saguntinis cautum est*: *Saguntinis* est nomen praecipuum, et eminet quia parenthesi a verbo (*cautum est*) disjungitur; atque ex eadem parenthesi et disjunctione *cautum est* elūcet.

*necdum* = *nondum*.

*erant*: positio media verbi.

- 9 *eo foedere*: is —sicut et alia pronominalia (*aliquis, quidam, nullus...*) — plerumque praet, praesertim cum inest orationi, aut in ea intellegitur quaedam oppositio.

— *Quae consequuntur brevius enodamus* —

*adversus quod*: nos in nostras linguas concreto modo vertimus  
[*contra esta objeción — contro questa obiezione*].

*Ego*: apponitur, separatur a verbo, opponitur *a vobis*.

- 10 *Vos*: quod conjungi debet cum *negastis vos...*, et opponitur *nobiscum... icit*.

*quod*: praeponitur suo antecedenti (*foedus*) ab eoque sejungitur.

*auctoritate patrum*: communis positio.

*populi jussu*: contrario positio (praecedit *genetivus*); sed vulgata et fere immutata, ut in aliis formulis: *plebis, scitu, senatus consultus, juris peritus*, cet.

*negastis* [*sostenete che non*]: praecedit.

*aliud*: sejungitur a substantivo (*foedus*).

- 11 *Si vos non tenent foedera vestra*  
— *nisi ex auctoritate et jussu vestro icta*  
*ne nos quidem Hasdrubalis foedus obligare potuit.*  
— *quod nobis insciis icit* —

Animadvertite sententiarum et vocabulorum oppositionem, parallelismum chiasmum, in superiore oratione.

- 12 *omittite*: initio orationis: verbum in *imperativo*.

*Sagunti atque Hiberi mentionem*: genetivi praecedunt.

*diu parturit*: positio media verbi; praestat praesertim ex adverbio *diu*, quo difficultas enitendi (*pariendi*) subtilius significatur.

*aliquando pariat*: parallelismus cum sententia superiore:

*diu parturit animus vester,*  
*aliquando pariat.*

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

In Urbe Roma

# DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 205 est edita, pars quinta sequitur)

(XLIII) Quinto idus octobres, a. MCMLXVIII: hora jam inita nona (latino more computata), seu (italice) quarta post meridiem, interjectis biennii indutiis, ex quo tres cosmonautae, quendam in sublimia jactum simulantes, ob conflaratam flammis capsam, in qua positi jacebant, inopinam obierant mortem, ex praecipua Sede, aetheriis missionibus efficiendis constituta, seu ex illa Foederatarum Americae Civitatum plaga, quam *Cape Kennedy* dicunt, aeronavis, cui nomen *Apollo 7*, sublimius est rapta, igneo jaculo pro vectore propellente, quod *Saturno 1 B* appellant. Ipsam tres americani cosmonautae habitant, Walter Schirra, qui, gubernatoris munere fungens, turmae praeest, quippe veteranus tertium hunc jam perfecit volatum, Walter Cunningham, Donn Eisele, de spatii aërii inceptis tirones: omnes ea de causa altiora petentes, ut ad quandam Terrae orbitam, jam praestitutam, perveniant eamque aliquandiu percurrant usque ad aliam aliamque magis ac magis altam persequendam orbitam, ut quodammodo altitudinis voluptatem, quam dicamus, praesentiant, cum in altiora eos abire aliquando oporteat, ut ad Lunam versus contendant.

Medio vix ab inita orbita peracto itinere, en Schirrae jam plena auditur vox: «Omnia pulcherrima, tamquam per somnium, videmus». Mox autem: «Quicquid est circum nos fusum adeo inusitatum penitus videtur, ut tantum ingenii vis cogitare possit. Quam beatos nosmet aestimamus!» Et pallulo post: «Hoc ipso temporis momento *Insulas Fortunatas*, vulgo *Canarias* supervolamus. Quam indignum non et vosmet, sicut et nos, haec loca admirari stupentes!» A peritis rei cosmonauticae viris atque opificibus, quorum scientiam haud fallacem omnibus constat esse, praevisum est hanc capsam *Apollo* undecim dies circum Terram ferendam; mox ad *Bermudas* insulas, in Oceano Atlantico, devolaturam, centum sexaginta tribus exactis orbitibus. An omnia prospere evadent? In eo summa rerum consistit: utrum difficultates oboriturae sint necne in negotiis quibusdam obeundis ac perficiendis, quae ad caeli siderumque pervestigandorum disciplinam attineant.

En, interea, medio jam tertio peracto orbe, altera ex duobus Sa-

*turni* partibus a capsâ *Apollo* ad tempus sejuncta est, quae, non ita multo post, propius celeriter accedens, illam arreptam sibi rursus adiciet. Subsequenti enim die, capsâ, quam ipse Schirra gubernat, cum jam triginta horarum iter peregerit, alteram illam *Saturni* partem persequi coepit, quae pridie, ut superius diximus, sejunxerat, donec viginti circiter passuum spatium interjecerit ab ea; quam circum postquam per dimidiam fere horam est quasi saltatim acta, ipsa demum secessit: illud, igitur, quod franco-gallico sermone «rendez-vous» dicunt, latino vere «adventum» vel «congressum», prospere quodammodo evasit. Haud felix item fuit experimenti exitus, quo capsâ *Apollo* persequi et aequare temptaret naviculam *Lunar Module I*, a se ipsa jam pridem sejunctam, ut aliam orbitam iniret, eo videlicet consilio ut duarum cosmonautarum receptionem simularet, quos, e Luna pervestigata reversos, in Terram reduceret. Nam, ostiola, quibus est extrema capsâ instructa, arcte clausa steterunt.

Aliud magni momenti experimentum, postridie ejusdem mensis idus, temptatum est, cum ipse capsae gubernator Schirra, unam e plurimis automatis fibulis tractando, quae composite ordinatimque sunt intus in eadem capsâ instructae, in aliam sublimiorem orbitam translatus sit, mille passus ac sescentos a priore distantem; idem, biduo post, effecit ut, aliam etiam orbitam sublimius initurus, a Terra quadringenta quinquaginta circiter chilom. distaret: quod ad circumlunare volatum parandum quam potissimum sit nemo neget.

Undecimo tandem kal. novembres, duodecimo temporis puncto, vel, ut distinctius dicamus, minuto, post meridiem (italice computatum), aëria capsâ *Apollo 7*, ex eo quod praevisum erat, undantia Oceani aëquora attigit, centesimo sexagesimo tertio terrestri peracto orbe. A milibus passuum duodetriginta circiter navis aërovehiculis propulsandis instructa expectabat dum cosmonautae per ostilium capsae in conspectum venirent, quos ab *auto-gyro*, ad perpendicularum descendente, in supernis ipsius navis constratis depositos, reciperet. Quod est sine gravi difficultate effectum, praeterquam quod eandem capsam ad lineam rectam componi oportuit, cum, aestuoso fluctu percussa, oblique prius, mox vertice deorsum verso, ipsa descenderet. Manifesta gaudii ac laetitiae ferebant indicia hi tres viri, quippe inconsuetam rem tam prospere perfecissent.

(XLIV) Septimo kal. novembres, a. MCMLXVIII, aëria capsâ, cui nomen *Soyuz 3*, quod «Unio» latine interpretatur, e regione Foederatarum Russiae Civitatum, quae est machinis ad inane spatium propellendis constituta, ingenti igneo jaculo, pro vectore, jacta est, semi-hora ante meridiem, seu sexta, inita latine computata.

Eidem unus ex praefectis aëriae classis est impositus, russicus ci-

vis Georgy T. Beregovoi, aetate jam adultus, cum quadragesimum septimum annum ageret, cui nondum praenuntiatum est quaenam explenda mandata fuerint. Mos est enim apud russicos rei cosmonauticae eruditos silentio tegi quicquid consiliorum ceperint.

Primo jam volatus circum Terram die, cosmonauta operam dedit ut alteram capsam *Soyuz 2*, non habitatam, superiore die propulsam, persequeretur, quin etiam aequaret: quod quidem usque ad ducentesimum fere passum ab illa explere potuit automataria tantum instrumenta adhibendo, reliquum vero spatii per se ipse manuali recognitione completurus. Ita, illud, quod gallice «rendez-vous» dicunt, latine vero «congressum», optime evasisse videtur. Idem, iterum, postridie Beregovoi perfecit. A Russica pervulgandis rebus Sede certiores facti sumus de nuntio, quod in Terram cosmonauta miserit, amicos sociosque allocutus: «incursum<sup>1</sup> in aetheria maximo prosequi ordine». Orbita, quam capsam percurrere pergit, eadem fere est ac primae *Soyuz*, illum vehentis cosmonautam Wladimirum Komarov, qui, praiceps ex alto in terras dejectus, perfractis membris, obisse memoriae traditur<sup>2</sup>.

Tertio kal. novembres, hora matutina quarta semis circiter apud Moschos (altera semis circiter apud Italos), capsam *Soyuz 3*, postquam quatuor vix exactos dies Terram circumiit, remisso demum delapsu, in praestituta finium russicorum regione se deposuit; quod effici potuit adapertitium umbellarum ope, ne in solidum, celerius descendens, solum offenderet. Quod autem citius quam pro communi conjectura cessavit volatus, in suspicionem inducere potest: num quid acciderit impedimenti, quo experimenta expleri nequirent. Ceterum, volatus propositum ad id praecipue intendisse videtur: ut capsam remisse ac leviter Terram attingeret; quod est re vera perfectum.

(XLV) Tertio idus novembres, a. MCMLXVIII, e Sede pervulgandis rebus, quae ad Foederatas Russiae Civitates attinent, inopinatum nuntium allatum est: quandam capsam, *Zond 6* nomine signatam, iter per sublimia spatia pergere, quod, jam aliquot ante horas initum, propius lunares oras rei cosmonauticae periti futurum praeviderent, ut finem haberet cum eadem capsam in orbitam lunarem immissa circum Terrae satellitem volare coepisset. Eadem autem Sedes nihil omnino pervulgavit de hujus itineris proposito; ex conjecturis tamen colligi licet idem adeptum fore satis, quod paulo ante alia hujusmodi capsam, *Zond 5*, adeptum fuerit: ut compertum scilicet habeatur

---

1. quo vocabulo, e rei militaris more sumpto, familiarissime russici utuntur.

2. v. «PALAESTRA LATINA» n. 199, pag. 127 (a. 1967).

quomodo se gerant machinulae atque instrumenta varia, quae intus in ipsa capsula constituta sint<sup>3</sup>.

Postridie ejusdem mensis idus, vix comperiri potuit capsam *Zond 6*, post aliquot expletos terrestres orbis, in altiorem orbitam se immississe; cum itaque lunares oras propius accessisset, circum satellitem duorum milium et quadringentorum chilom. spatio se brevi volatu tulisse. Post triduum demum Russica pervulgandis rebus Sedes pro comperto nuntiat capsam *Zond 6*, expletis mandatis, si qua manifesta patuerint, Terram levi lapsu attigisse, in ipsa, quae praestituta fuisset, russica regione, prima ac semihora post meridiem (italice computata).

Experimentum, quam quod maximi momenti, hoc referendum videtur: fieri nempe potuisse, ut absque adapertilis umbellae ope quaedam capsula terrestre solum leniter tangeret, cujus cursus non jam ballistaria arte, seu machinali impulsu, verum aerodynamismi, qui dicitur, ope, seu per aeris pressi vim, infrenaretur.

(XLVI) Duodecimo kal. jan. MCMLXVIII, ipso temporis momento, ex horarum indice subtiliter signato, quod erat antea statutum, quinquagesimo primo nempe post septimam horam a mane (italico more computatam), ex illa Foederatarum Americae Civitatum regione, quam *Cape Kennedy* appellant, astronavis, ingenti mole, *Apollo 8* nuncupata, igneo jaculo pro vectore propellente, quod *Saturno 5* dicunt, in immensum est projecta spatium, lunarem orbitam petitura. Ejusdem tres viri, rei cosmonauticae peritissimi, capsulae impositi vehuntur: Franck Borman, James Lovell, William Anders, quos nunquam quisquam alius praecessit, quin post gravitatis superatam vim, quae in medium Terrae orbem vergeret, ad lunarem orbitam persequendam iter facere pergeret.

Ubi extremum temporis spatium, singula in contrarium numerando momenta, finierunt (italice: terminarono il conto alla rovescia) qui rebus ad volatum pertinentibus praesunt, en ingens ac versicolor flamma statim conflatur, cujus fumo, denso crassoque, jaculum *Saturno 5* circumvolvitur, paene etiam celatur: varii flammae colores inter fumi nimbos refulgent sicut quoddam multicolor maris aequor. Quidam se extollens fusus conspici potest, candescens, cosmonautum capsula in summo gerens vertice. Duodecim vix temporis momentis exactis, astronavis circumire Terram coepit, postquam prima e tribus partibus, quibus jaculum *Saturno 5* constat, sejuncta per se ipsa est! Cum semel iterumque illam circumierit, en altera jaculi pars eicitur, ut celeritas augeat, donec aeronavis, majore impulsu per tertiam ja-

3. v. «PALAESTRA LATINA» Rel. XLII, n. 205, p. 13 (a. 1969).



culi partem accepto, Terrae gravitatis vi superata, iter ad Lunam versus tandem ingrediatur, quod nemo prorsus unquam antea temptavit.

Ejus celeritas, quae ab initio hujus extremi cursus ad ducenta milia stadiorum (seu quadraginta milia chilom.) singulis horis computatur, gradatim minuatur oportet, donec *Apollo 8* parvo spatio (non minore tamen quingentis quinquaginta stadiis, seu centum decem chilom.) a satellite nostro distet: Inusitatus profecto hic aestimari potest cursus, qui haud multos vel abhinc annos insanus fere atque imaginarius videri potuit; itemque altitudo abnormis, quam nunc primum quidam ex humano genere est consecutus. A tot sescenis milibus stadiorum distantes, caelestes viatores vocem suam terrigenis audiendam miserunt: ex eis unus enim, James Lovell, admiratus obstupuit et: «Terra mihi —inquit— magis pusilla videtur quam ipsum vitreum capsae ostilium, per quod foras oculorum conspectus conici potest». Interea, dum propius lunarem superficiem accedant, cosmonautae instrumenta varia manu tractant, quibus est ipsa capsula instructa: Franck Borman, *teletheca* apprehensa, Terrae imagines per lucem impressas huc ad nos imos mittit, quae terrestrem orbem tamquam discum repraesentant, cujus altera pars luminosa praestat, altera opaca delitescit.

Biduo jam post initum aeronavis jactum, hora nona post meridiem ac media (italice computata), *Apollo 8* ex terrestri gravitatis vi in lunaris transgreditur; quare celeritas ad tempus augetur; at mox in horas minuitur pro deminuto a satellite intervallo. Triduo autem post, hora quinta ac media a mane, *Apollo 8* lunarem orbitam ingreditur: satellitis imagines hinc per *telethecam* cosmonautae in Terram transmittere coeperunt, stupendas equidem nec unquam adhuc tam perfecte lucis ope impressas: illius enim superficies, praeter quam dirutis rupibus amplisque vallibus, praesertim crateribus cujusvis latitudinis abundat quorum jam pridem<sup>4</sup> mentionem quandam fecimus.

Dum capsula *Apollo 8* lunarem oram circumfertur, Franck Borman precem Deo elata fundit voce, qui rei gerendae, eo majoris momenti tempore, adsit ac perficiendae faveat<sup>5</sup>. Postquam autem decimus exactus est orbis circumlunaris per integras viginti horas, ejusdem aeronavis retro versus coeptus est volatus ex orbita nempe lunari ad caeleste spatium, in quo nostra errat stella, seu Terra: nunc jam

---

4. v. «PALAESTRA LATINA» n. 201, p. 13, MCMLXVIII (3), v. «PALAESTRA LATINA» n. 201, p. 11.

5. Memoriam, hic, prodere juvat de primo aereo viatore, Gagarin, russo cive, qui insolenter ac stulte: «Nullum omnino deum —inquit— conspexi, quem Christiani regem esse caelorum aiunt.» (v. «PALAESTRA LATINA» n. 196, a. MCMLXVI).

gradatim primum luna abire, cujus gravitatis vis aeriam capsam, magnetis more, allicit ac trahit; deinde Terrae gravitatis vim subire oportet.

Cum, demum, ex immenso inani spatio hujus extraordinarii volatus per septem et quinquaginta circiter horas sit expletus reditus, illa capsam, cujus index gloriam quam maximam jam acquisivit, in Oceani Pacifici aequora, celeritate gradatim per gravitatis terrestres vim aucta, illapsa est, prope insulas, quas vulgo *Hawaii* appellant: sexto kal. jan., paulo ante quam dies illuxit (in Italia, hora circiter quinta post meridiem). Vicesimi stadii intervallo, magna quaedam navis, cui nomen *Yorktown*, aeriis machinis vectandis instructa, in superno suo tabulato tres e caelo redeuntes viros, ab *autogyro* receptos, excipit, postquam tres adapertiles umbellae jam paulo ante ab altitudine septem milium chilom. exceperant.

(XLVII) Nonis jan. MCMLXXIX, ab illis Foederatis Russiae Civitatibus, quae brevius compendiariis litteris «U. R. S. S.» notantur (= Unio Rerum publicarum Socialium *Sovětskich*), quaedam speculatoria machina, cui nomen *Venus 5*, immensa caeli spatia perlustratura, propulsa est, ut, post quatuor circiter menses, in errantis stellae veneris superficiem leni lapsu conlineet. Quid sibi cognoscendum Russici rei cosmonauticae periti proposuerint, ipsa Russica pervestigandi Sedes nos vix certiores facit: quae nempe sint aeris condiciones, quo Venusinus orbis involvatur. Jam pridem, aliae hujusmodi speculatoriae capsae, *Venus 1* ac *Venus 2*, annis MCMLXI - MCMLXVI propulsae, a recto aberrarunt itinere, cum *Venus 3*, eodem anno propulsa, post paucas notas per aetherias undas transmissas, nihil jam sui amplius indicii dedisset. *Venus 4* autem, mense octobri MCMLXVII propulsa, rectius successit, cum prius per totam ac dimidiam horam varias de crasso atque efferventi aere notitias transmisisset, quam et ipsa taceret, non sine quidem peritorum opinione quin in ipsius stellae Veneris eadem capsam conlineaverit.

Nuntium, eodem fere tempore, ab illa pervestigandi Russica Sede est allatum: inter varia instrumenta, quibus esset aerea machina instructa, imaginem, Lenin experimentem, una cum vexillo «U. R. S. S.», invectam esse, quae machinali quodam ictu super Veneris solum demittatur. Quarto insuper idus, eodem mense januario, adde quod e turri astrorum speculatrice, in russicis finibus posita apud regionem quam vulgo Kazakstan appellant, aliquot errantis stellae Veneris imagines ab alia aerea machina, cui nomen *Venus 6*, impressae sunt telescopii, seu conspicilli tubulati, ope, *televificata* capsella instructi, cum centum milia chilom. (seu quingenta milia stadiorum) eadem machina a Terra distaret.

(XLVIII) Postridie idus jan. MCMLXVIII, navis aetheris speculatrix, *Soyuz 4* (latine: «Unio»), quam russicus civis, cujusdam aeriae classis turmae praefectus, Vladimir Sciatalov, gubernat, est in orbitam terrestrem invecta. De peculiaribus mandatis, quae sibi ipsa sumpsit, nihil omnino comperiri potest, cum Russica rebus pervestigandis ac propagandis Sedes minime certiore quemquam facere soleat. Ex auditu tamen cernere licet eandem navem circuitum terrestrem jam alteram ac dimidiam horam a mane (italice computatam) pergere atque magnas difficultates huic inesse rei. Nam, fama percrebruit alteram in crastinum propellendam instrui navem, *Soyuz 5*, tres cosmonautas vehentem, cujus hoc sit assequendum propositum: ut conjunctio ab ipso gubernatore cum priore *Soyuz* perficiatur; naves ambo, deinceps, invicem aërios permutarent viatores.

Sciatalov, interea, americanos hujusmodi rei nuper socios imitatus, aliquid de se per aetherias undas profatus: «Optime valeo» —inquit— laetus hilarisque arridens, salutationem gestu faciens. In votum veniat hoc experimentum prospere cessurum pro vindicando illius cosmonautae conatu, seu Komarov, qui, jam superioris bienii vere, aeronavi *Soyuz 1* vectus, inopinate periit. En, igitur, ut ex praevisis res successerit: postridie enim, nuntium a Russica pervulgandis rebus Sede allatum est: aëronavem *Soyuz 5*, terrestrem orbitam propulsam, circumire Terram pergere, tres rei cosmonauticae peritissimos viros vehentem, Boris Volynov, Aleksjei Ieliseiev, Eughenj Krunov, primum tamquam tirones hujusmodi itinere imbutos.

Haud temere opinio in vulgus est edita fore ut tertia aeronavis, *Soyuz 6* videlicet, priores petitura mox propellatur. Qua de causa? Haud dubie ut quaedam statio, compluribus conjunctis in aere naviculis, efficiatur, quae frequentem hominum machinali scientiae peritorum cohortem excipiat, variis instrumentis instructa, subsidiariis machinarum partibus praedita, quorum usus necessitas postulet; ipsa adeo commeatus opibus abundans, ut cosmonautis liceat jam non e longinqua Terra, sed ex orbita quadam terrestri ad altiora tendere spatia; unde deinceps ipsi reversi, si forte defatigati atque esurientes, in hujusmodi statione se refecturi commorentur.

Postridie quam *Soyuz 5* propulsa est, cum priore aeronavi, seu *Soyuz 4*, gubernatoris opera se conjunxit: ex tribus ejus incolis Alexiej Ieliseiev et Eughenj Khrunov, priusquam in novam capsam transferrentur, per immensum inane plus quam horam libere se gesserunt; quarta demum ac dimidia exacta hora, aeronaves ambo, de novo sejunctae, Terram circumire perrexerunt, suam quaque orbitam secuta.

Decimo sexto kal. febr. altera circiter hora a mane (italice compu-

tata), aeronavis *Soyuz 4* leniter terrestrem humum attigit, ducentorum stadiorum (seu quadraginta chilom.) spatio a vico Karaganda, in finibus Kazakhstan: ex ea, praeter gubernatorem Vladimir Sciatalov, cosmonautae Khrunov et Ieliseiev egressi sunt, qui jam, ut superius diximus, se in illam e sua *Soyuz 5* transtulerant, quae interim, moderatore Boris Volynov, circumire Terram pergit. Capsa, tres cosmonautas vehens, adaperitili umbella, ut alias fieri solitum, arrepta est, quae, celeritate gradatim ad octo fere cubita pro minuto quoque secundo redacta, effecit ut eadem capsula leni lapsu terrestrem solum tangeret. Eodem modo ac ratione, postridie, aeronavis quoque *Soyuz 5* Russicum solum attigit, postquam fuit in purum aera ingressa, milium circiter stadiorum spatio a Kustanai, intra Kazakhstan fines, in ipsa nempe plaga, quam ii, qui hujusmodi praesunt experimentis, statuerant.

Prof. J. MARINELLI

Via Salvator Rosa, 241

Neapoli, in Italia

# HORIS SUBSICIVIS

## DE PLUTARCHI VITIS PARALLELIS

Quemadmodum Herodotum primum historicum, ita Plutarchum primum biographum jure dicimus. Hausit lucem Chaeroneae Boeotiae, ubi Graeci anno 338 a. Chr. libertatem amiserant. Autobulus pater, vir amplissimus, filios in urbe litteris institutos, ut in omni eruditionis genere perpolirentur, Athenas misit. Ibi Plutarchus sese philosophis, maxime autem Ammonio, Academiae Platonicae lumini, adjunxit. Ab hoc viro clarissimo mathesim, philosophiam ac pleniorum religionis sensum didicit. Urbem natalem plurimum diligebat et in ea majorem vitae partem degebat, quampuum ad studia litterarum non tantum conferebat quantum urbes aliae bibliothecis et viris illustribus florentes. Totam noverat Graeciam, Aegyptum lustravit longiusque tempus Romae sub Vespasiano et Domitiano egit. Jam tunc aetatis fama Plutarchi per totum imperium manarat, recitationes philosophicae a plurimis frequentabantur et ipse persaepe tanquam conscientiae moderator consultabatur. Decessit octogenarius, ad vitam decrepitam laboribus occupatus, inter familiares et discipulos, sacerdos Delphicus, scriptor fecundissimus. Scripta enim, quamvis ferme eorum dimidium temporum injuria perierit, aliquot milia paginarum complent.

Maximam sibi laudem collegit vitis parallelis. Ideo inde ab antiquitate et deinceps «vitarum» pater dictus est et multis, qui hoc scribendi genus attingebant, formae et exemplo fuit. Quod quidem genus a Xenophonte, qui fuse de Cyri regis moribus et gestis et de Agesilao rege scripsit, est inchoatum; sed a Plutarcho ad perfectionem adductum. Memorat in exordio vitae Aemilii-Timoleonis se ad scribendum ab aliis esse inductum, sed suo ingenio perseverasse. Natus enim philosophus et paedagogus id potissimum contendebat, ut homines meliores redderet et docendo et persuadendo ad conscientiam castigandam eorumque moderationem ita ad veram beatitudinem perduceret. Cui rei totum se devovebat.

Primum vitam Heraclis, Leonidae, Hesiodi, Pindari, Scipionis Africani et primorum Imperatorum Romanorum descripsit. Quae vitae usque ad saeculi quinti finem passim legebantur et auctori magnam laudem afferebant, tamen post temporum injuria interie-

runt. Sed majorem et perennem laudem vitis parallelis est consecutus. In quibus non solum sibi legentium mores perpolire proponebat, sed et finem politicum prosequebatur. Corinthus anno 146 a. Chr. n. capta et deleta et in populi Romani dicionem potestatemque redacta erat. Cecinerat quoque Flaccus: «Graecia capta ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio»; nec tamen defuere Romani, qui quidem Graecos ob artes et litteras, cultum et humanitatem summi facerent, sed ob morum licentiam despicerent. Nec defuere Graeci, qui vicissim Romanos respuerent barbaros.

Quam animorum discordiam tollere et ingenium graecum cum romano conciliare et intime conjungere non solum optimo cuique Romano, sed etiam Plutarcho summopere cordi erat. Quapropter id coepit consilii aliquot clarissimos graecos cum romanis comparare atque alterum juxta alterum veluti ponere et hoc modo demonstrare neutram gentem, multis licet rebus diversam, digniorem esse altera. Itaque ergo, ut paucos ponam, confert Theseum cum Romulo, Lycurgum cum Numa, Aristidem cum Marco Catone, Demosthenem cum Cicerone, Alexandrum cum Caesare. Quae comparatio in nonnullos viros bene quadrat. Habent enim eorum virorum ingenia, sortes temporumque communes condiciones, unde facile conferantur. Sed quaerunt docti: Quid Aristidi cum Catone commune? Quid Pericli cum Fabio Maximo? Indulgeamus auctori et coniveamus.

Nolebat res, sed vitas describere. Id enim in vitae Alexandri Caesaris exordio affirmat. Ideo «legentes rogo ne mihi probro vertant, quod singula praeclare gesta non fuse, sed presse dicam. Etenim hominis dignitas aut indignitas non factis illustribus continetur. Immo interdum vis ac natura hominis voce aliqua obiter dicta vel joco quodam magis illustratur quam pugnis, captivorum multitudine, summorum congressu exercituum urbiumque maximarum oppugnatione. Ut enim pictor similitudinem imaginis ex ore et vultu, quibus, quid vere sit homo, exprimatur, petit, reliquis corporis partibus neglectis, sic mihi liceat animos potius pingere atque ita totam vitae imaginem formare.»

Mirum est, quot historias historiunculasque undique congesserit quantumque omnium rerum cumulum! Quae nisi haberemus, nostrae de antiquitate notitiae multo minores essent. In ipsa autem diversarum rerum tractatione Plutarchus numquam siccus, sed nunc fervidus, nunc mollis. Modo flumine quod de inexhausto memoriae thesauro promanat abripitur, modo res serias, modo facetas tam bene infert, ut in optimis omnium temporum narratoribus numeretur. Legebatur igitur ubicumque homines graece loquebantur versabatur in Marci Aurelii, Juliani apostatae imperatorum et Neoplatonicorum manibus. Ipsi quoque Christiani, quorum —inscius— nullam facit mentionem, eum sibi affinem sentiebant.

Ita factum est, ut maxima scriptorum pars in imperio Byzantio servaretur. Quod ubi interiit, plurimi viri docti in Europam Occi-

dentalem profugerunt et permultos Graecos codices, inter quos Plutarchi, secum tulerunt. Nec multo post descripti, duplicati, in omnes fere linguas europaeas conversi, auctoris nomen et notitiam late diffuderunt. Idcirco dicendum ipsius vitas posthac tam necessarium eruditionis instrumentum evasisse, ut omnes, qui virorum litterarum gloria floruerint —Eneas Silva, Erasmus, Montaigne, Shakespeare, Racine, Corneille, Goethe, Schiller— vitas et cognoverint et maxime delectati sint. Nec dubium quin non solum ejus opera in litteris hodiernis suum locum sint obtentura sed etiam auctor ipse, vir admodum integer, clemens, facilis.

### QUID PAULUS ATHENIS VIDERIT

Paulus peregrinator magnus relicta ob Hebraeorum tumultum Thessalonica urbe et Beroea, anno LI iter maritimum Athenas versus arripuerat. Nitebat mare velut marmor caeruleum undis levi vento paulum crispatis. Sentiebat vector noster, graecis imbutus litteris, venustatem ponti floridis insulis quasi totidem gemmis ornati. Sunii promunturium circumvectus et Aeginam Salaminaque urbem celeberrimam praeterlabens tandem portum Piraeum, tunc temporis emporium illustrissimum attigit.

Jam Athenae, Thesei et Palladis deae urbs, in conspectum veniunt. Jamque ex Acropoli lanca deae deaurata splendet. Athenae! Quos sensus vel nostra aetate haec urbs, quamvis nil aliud nisi «magni nominis umbra», excitare solet! Amiserat Graecia, quae olim cum Persis acerrime de libertate decertaverat, redacta anno CXXXVI sub imperii romani dicionem, libertatem pristinamque gloriam. Pascebantur in multarum urbium foris capellarum greges. Asportaverant avidi proconsules tot artificia splendidissima in Italiam. Quod Athenae sorti huic infelici superstites fuerant, id majorum gloriae ac famae acceptum referebant.

De fortunae fastigio licet delapsae tamen vi magica omnes adeo allicere solebant, ut nemo fuerit alicujus momenti romanus, quin ex eo fonte litterario hauserit vel saltem aliquamdiu Athenis sit commoratus. Nam quod nostris diebus Christianis Roma. Hebraeis Hierosolyma, Mahometanis Mekka, Brachmanis Benares, id tunc aetatis cuilibet imperii romani genti Athenae fuere. Semel in tota historia id maxime mirabile factum est, ut gens parum numerosa in vix unius saeculi spatio summum litterarium, omnis generis artis, philosophiae, rerum politicarum et nobilis exercitationis gymnicae fastigium ascenderit. Atque hoc mirabile obtigit Graecis. Nonne Homeerus veluti artis epicae culmen, Herodotus pater historiae, Thucydi-

des historiae pragmaticae, Aeschylus, Sophocles, Euripides summi tragoedi, Phidias, Praxiteles, Lysippus sculptores illustissimi, Socrates, Plato, Aristoteles philosophiae magistri, Apelles pictor celeberrimus, Pythagoras, Euclides mathematici doctissimi, Strabo tandem et Ptolemaeus geographi magni nominis? Religio, pulchritudo patriaeque amor: haec tria fundamentum artis graecae et gloriae posuere.

Summa, quam Graecia protulit, est ars, non separatim accepta, sed deorum cultui et civitati dicata et sacra. Nullibi enim cultus, civitas («polis»), ars nexu tam arto coaluerant quam in Graecia. Ars enim graeca nisi cum civitate conjuncta non intellegitur. Civitas («polis») non congregationem hominum significat, sed in tutela deorum est ideoque sacrata. Nam speciem legis humanus convictus praebet Graecique persuasum habebant hunc ordinem omnia complecti, quibus homo is fieret, qui esse deberet. Praeterea hic ordo tot et tanta, quibus Graeci dissentire et disjungi solebant, contraria sustulit et omnes, sive nobiles, sive colonos sive opifices induxit, totos ut civitati («poli») se darent.

Circumibat Paulus urbem et ascendebat in collem arduum, deorum aliquando et regum arcem: Acropolim. Erat territorium sacrum Propylaeis ab urbe sejunctum. Hic perfectae artis imago classica exprimebatur. Superimminebat enim Aeropolis quasi diadema regium urbi et Parthenon, regnum Atheneae. Via sacra stivis sacratis cincta in cellam ferebat, ubi imago deae ex auro et ebore a Phidia artifice illustrissimo conflata exstabat. Parthenon, licet pristinae granditatis tantum exstent fragmenta, tamen vel hodie habet, unde delectet et commoveat.

Hic quoque omnia, quibus Graecorum vita continebatur, elementa conspici licet: daemones victi quidem sed superstites, dii quorum ex exemplo ut norma se Graeci formabant, civitas Atheniensis («polis») quae ipso die deae festo pompa sollemni apparebat. Species seu notio Palladis, deae virginicae, Jovis patris filiae, tota armata e patris capite egressae, Graecis manifestatio divina videbatur; imago vero ejus sapientia incorporata, castitate tantopere a lascivo Aphroditis et Dionysi cultu aliena.

Fortasse Paulus alteram quoque Palladem contemplantur, totam in sese collectam et de futura Graeciae sorte meditantem. Artifex enim hac statua id expressit, quod ante saecula ingenium Homeri praeclarissimum senserat: providentiam divinam, quae Telemachum adolescentem rexit, Ulixem per tot maris pericula incolumen in patriam duxit et iracundiam Achillis, gladium jam in Agamemnonem transfigendum destringentis sedavit.

Paule, procede paulum, jam intrabis in Erechthei templum, ubi olea sacra viret, quae olim jussu Palladis e terra emersa Graecis oliveta tam fertilia attulerat. Lampas oleo nutrienda purissimo nocte dieque ad deae aram flagrabat. Nonne mira cogitatio, cujus radices



in inum ingenii humani profundum descendunt et postea facile a Christianis suscipi poterat?

Athenis quarto quoque anno Panathenarum sollemnia in conditae a Theseo urbis memoriam habebantur. Vesperis diebus qui sollemnitatem praecedebant, adulescentes et virgines facibus collucen- tibus collem ascendebant. Orto sole ipsa pompa incipiebat. Incedunt primi «sacrificantes», sequuntur canephorae virgines nobiles, appa- ratum sacrificii portantes. Ducuntur una hostiae. Hymni sollemnes fumo exurgente cantantur. Senes praeclarissimi olivarum ramos prae se ferunt. Carrus vehitur, de cuius malo «peplos», vestis arti- ficiose texta, pendet. Texi novem mensibus ante incipiebat et qui- dem a feminis et virginibus deae sacratis. Culmen vero Panathe- naeae tum ascendebant, cum apparatu musico, declamatorio et dra- matico populus omnis in Palladis virgineae fanum conscendebat, «peplos» deae dicabatur et victores gymnici ex ejus manu lauream accipiebant.

Quantopere omnes non minus religione quam patriae amore com- movebantur, cum intra sollemnia pompa festiva propius accedente Aeropolis portae patefiebant et vates magna exclamabat voce: «O urbs, violis ornata, splendidissima, maxime invidenda, o Athenae nostrae!» «Templa enim et artificia omnia religioni et patriae inser- viebant. Quamdiu mos hic vigeat, tamdiu florebat Graecia.

Descende paulum, Paule, jam invenies custodiam, ubi Socrates nobilissimus Graecorum, antequam venenum hauriret, tam sapienter de animae immortalitate cum discipulis disseruerat. Olim enim deus Delphicus hunc hominem omnium mortalium sapientissimum prae- dicarat, quippe quem non fugeret quid vere sciret. Septuaginta, quos xivit, annos in eum indagabat, qui totus esset spiritus, totus bonus et omnipotens. Atque invicta in eum, cujus se servum jactabat, fide- litas capitis damnato addidit animos extrema illa hora, cum veneni vis mortiferi vitam lente exstinxit. Nonne primus conscientiae mar- tyr, quem postea sescenta Christianorum milia sunt secuta? Qui ani- mi habitus, quo Socrates unum solum Deum praedicarat, novum quid et inauditum in tota historia graeca fuit et recta ab ipso ad Platonem, Aristotelem et Cleanthem ducit. Hi enim omnes certam eam inquirebant cognitionem, quae «esset ubique terrarum eadem, salva, sana, una omnibus et super omnia catholica.» (ARIST. *Eth. Nic.* 2, 7). Nonne hic Vincentii Lerinensis praeclarissima cognoscitur definitio: «Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus...?»

Haud scio an peregrinus noster ad aram steterit, quam Athenien- ses «Misericordiac» consecrarant. Videtur haec ara flagrantissimum paganorum incorruptorum desiderium manifestare Deum maxime misericordem, qui carnem esset assumpturus, invocantium. Quae ara tum posita est, cum Athenienses libertatem nondum amiserant. Sed primo saeculo christiano mens servilis dominos romanos impudenti et insolenti cumulavit honore. Procede parum, Paule, jam videbis

templa Genio Romae et Augusti dedicata. Inde enim a Caesare per totam Graeciam mos percrebuerat imperatores in deos referendi. Vix interjectis a Pauli morte annis octoginta Hadrianus, dum Athenis moratur, Zeus Olympicus, Panhellenius, immo Soter —Servator— est celebratus.

Id praecipue paganis infortunio fuit, quod deos fecere homines, homines vicissim deos atque hoc modo summam, quae inter Creatorem et creaturas intercedit distantiam sustulere. Qua sublata etiam «humanum» interire necesse erat. Id Caligula et Nero, homines perversissimi luce clarius demonstrarunt. Paulus, dum ulterius procedit, subito stupet. Videt enim templum  $\delta\epsilon\omega\ \acute{\alpha}\gamma\nu\omega\sigma\tau\omega$  dedicatum. Constat historia non tantum Athenis, sed etiam aliis in locis fuisse templa  $\delta\epsilon\omega\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\gamma\nu\omega\sigma\tau\omega\iota\varsigma$  sacra.» «Diis Asiae, Europae, Africae, diis ignotis et peregrinis.» (HIERON., in *Titum*, 1, 12). Etenim pagani et patrios et peregrinos colebant deos et sibi propitios reddere studebant. Quid putas Paulum visa illa inscriptione cogitasse? Sensit innatum homini et intimum Dei veri instinctum, quo forte, attrectarent eum aut invenirent, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.» (*Act. Ap.* 17, 27). «Commota sunt viscera ejus, cum vidisset, quomodo Graeci tot deorum erectis fanis sitim divinitatis sedare non possent et deos anonymos invocarent, inconscii Dei veri cultores. Ejusmodi in deos signa, qui ab infortuniis, bellis, omnis generis aerumnis, raro autem a peccatis et culpa liberarent, in antiquissimis mortalium documentis passim inveniuntur.

Erat Athenis  $\acute{\alpha}\gamma\omicron\rho\alpha$ . forum maximum. In hoc totius urbis medio seu umbilico litterario, sociali et commerciali Paulus cotidie ad eos, qui casu aderant, et aliquot Epicureae et Stoicae sectatores verba fecit (*Act. Ap.* 17, 27). Hic dicere juvat Platonem, Stoicos Cynicosque docuisse esse summum hominum exemplar, «hominem divinum», alta deorum scientia praeditum atque eorum nuntium. Ejusmodi viri divini interdum totam Graeciam et Asiam minorem peragrabant. Vili vestiti habitu, paucis contenti, omnem spernentes molliam peculiare deorum amici a vulgo existimabantur.

Hinc non mirum videtur, quod et Paulus deorum exterorum nuntius et praeco est ductus ad Areopagum. Qui antiquitus ex summa nobilitate constans de omnibus religionis, morum, cultus et eruditionis quaestionibus dijudicabat et summa toto imperio agnita pollebat auctoritate. Ad hunc igitur venerandum magistratum Paulus verba fecit. Facilem ad Christum aditum invenire studebat. Cum coram Hebraeis disputabat, a revelatione divina et populi Judaici historia exordium cepit. Coram vero Areopago pagano, Deum sese operibus magnificentissimis esse testatum neque Dominum caeli et terrae templa ab hominibus aedificatis habitare. Ipsius enim generis omnes esse.

Deest, Paule, Socrates, deest Plato, deest Aristoteles, deest Clean-

thes, qui tam alte tamque vere de Deo sentiebant. Adsunt solum nepotes. Te, cum philosophiam attingis, audiunt quidem, tibi que assentiuntur; cum vero Christum et resurrectionem infers, audientes degeneri te illudunt. Ex sicca Actorum narratione tantum divinamus, quid praeco ille intrepidus dixerit. Sed id facile conicitur Graeciae interitum imminere. Quis denique credidisset eam quam Paulus praedicavit religionem, exactis nonnullis saeculis, fore Palladium, cui Graeci nationis, litterarum sermonisque perennitatem essent debitori?

## DE SERMONIS HEBRAICI IN PALAESTINA RESTITUTIONE

Res publica Israel jamdiu vicesimum a constitutione annum solemniter celebravit. Neque immerito. Etenim quae tam brevi spatio ad restituendam Palaestinam operose effecerat, ea summum Europae occidentis honorem sunt consecuta. Sed minorem laudem habuit mortuae linguae hebraicae restitutio et in vitam cottidianam inductio. Linguam declaramus mortuam, cum loquendi instrumentum esse desiit. Judaei usque ad saeculum a. Chr. n. IV hebraice loquebantur. Tum autem linguam Aramaicam, qua reges Orientales ipsorumque legati inter se uti solebant, sensim adhibere coeperunt. Solum viri docti, quibus Legis Librorumque Sacrorum cura erat commissa, pristinum sermonem retinebant. Jam lingua Aramaica paulatim in «Mischna-hebraicam» mutata est, grammaticam sermonis classici ac stilum haud parum auxit et sese saeculis volventibus in «Medii-aevi» hebraicam evolvit. Sed Judaei, per totum terrarum orbem dispersi, earum gentium, quarum hospitio utebantur, sermone uti consueverunt. Antiquus ac sacer sermo tantummodo in scholis et synagogis colebatur.

Cum ineunte saeculo vicesimo «motus Sionisticus» ortus esset ejusque auctores et fautores Palaestinam, unde gens Judaea bello Judaico erat expulsa, patriam novam et centrum constituissent, unam omnibus, qui eo essent immigraturi, linguam necessariam ducebant. Post multas in omnem partem consultationes priscam illam et sacram elegerunt. Cujus restitutio novum quid et in tota historia prorsus singulare videtur. Innititur haec lingua, «Neohebraica» dicta, «Mischna-hebraica», sed ne nimis inde degeneraret, ad pristinam, quod grammaticam spectat, est accommodata. Ut autem nostrae aetatis tantopere mutatae rationibus et technicis potissimum rebus apte responderet, haud paucae significationes et vocabula erant fingenda. Idcirco motus Sionistici auctores «*waad-halashon*» i. e. academiam linguisticam constituerunt, cujus esset vocabulorum copiam augere

simulque videre, ne proprium linguae hebraicae pateretur detrimentum. Hinc fit, ut nullum novum vocabulum in thesaurum recipiatur nisi a membris academiae probatum. Cujus munus potissimum esse arbitrantur nova verba e radicibus hebraicis repetere, quod, cum hic sermo et verborum copia et res significandi facilitate satis sit dives, haud arduum videtur. Quodsi nullae suppetunt radices hebraicae, de linguis europaeis ducuntur et, quantum fieri potest, ad sermonis hebraici sonum ac colorem adaptantur. Ita lingua neohebraica nata est. Servat naturam classici sermonis et indolem nec minus quam quaelibet lingua europaea ad res quascumque apte dicendas est idonea. Opus operosum et laude vere dignum!

Jam inde a constitutione reipublicae maxima diurnorum et ephemeridum pars, quae in Palaestina eduntur, neohebraice scripta sunt. Ex aucta quoque librorum editione apparet, quam altas haec lingua radices in omnes populi ordines egerit et quantopere cultus et humanitas, litterae et artes reviviscere coeperint. Fatendum quidem est Judaeis, qui recens immigrarint nec rudimenta quidem linguae norint, difficile esse sese in Palaestina, quae consulte omnes alias linguas excludit, ad vitae cotidianae rationes accommodare. Opem autem fert Academia supra memorata. Advenas omnes et juventutem potissimum via ac ratione in addiscenda lingua erudit. Quicumque in externa natione, ignarus licet initio linguae, vixit, expertus scit se hanc solam audiendo linguam, frequentando theatra, cinemata publicasque contiones intra paucos menses majores in percipienda lingua profectus fecisse quam diutinis studiis privatis. Si quis hodie in urbe Tel-Aviv ambulat, omnia edicta publica, platearum, tabernarum, cauponarum, cinematum theatrorumque inscriptiones neohebraicis typis scriptas considerat et incolas paene omnes neohebraice loquentes audit, facile intellegit quantae vires in hac lingua, per duo annorum milia pro mortua habita, dormierint.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.  
Haus Sentmaring  
44 Münster (Westf.) in Germania  
Sentmaringer Weg. 55-57

# B I B L I O G R A P H I A

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittelateinisches Wörterbuch*. I Band. Lieferung 10: "benefico-Byzantius". II Band. Lieferung 1: "c-canicula". C.H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1967-1968. DM 24./DM 24.

Satis cognitum habent lectores nostri magnum hoc vocabularium linguae latinae medii aevi quod inscribitur ("Mittelateinisches Wörterbuch"). Superioribus enim Palaestra Latinae numeris novem primorum fasciculorum iudicium criticum opportune prodiit in lucem. Nunc hos duos fasciculos, qui ultime sunt editi, recensendos aggrediamur.

Primus fasciculus (Lieferung 10) quo primus volumen totius operis absolvitur col. 1441-638 occupans a verbo "benefico" incipit ut in "Byzantius" desinat. Alter fasciculus (Lieferung 1) primus secundi voluminis est litteramque C incipit usque ad verbum "canicula" et col. 1-160 complet.

Unaquaque pagina textum continet in duas columnas distributum numerisque rite signantur quo usus lexicum in textu memorando commodius expediatur. Omnia verba accuratissima ratione ac via lexicographica sunt tractata. Sensus verborum seu significatio latina atque germanice proferuntur.

"Mittelateinisches Wörterbuch" quod inscribitur opus ab Academia Bavarica editum omnibus latinitatis studiosis praesertim iis qui in sermonem latinum medii aevi investigandum incumbunt summo erit sine dubio adjumento.

BRUCE, I. A. F. — *An historical commentary on the "Hellenica Oxyrhinchia"*. Cambridge at the University Press, 1967. Pag.: I-XI; 1-177. 30s net.

Opus, cui index "Hellenica Oxyrhinchia", nihil aliud videtur quam historia, certo vacans nomine, earum rerum quae apud graecos quinto circiter exeunte saeculo quartoque ineunte acciderunt. De quo opere Dctor. Bruce primum conscripsit commentarium.

Duobus papyris Londiniensi scilicet atque Florentino, quibus praebentur omnia fragmenta quae e textu exstant, nititur investigator; duorum papyrorum brevem descriptionem facit; de dicendi genere scriptoris Oxyrhinci disputat deque ejus ratione ac via in narrando, de fontibus, de chronologia aliisque haud parvi momenti rebus, quae propius ad opus spectant.

Maxima "commentarii" pars annotationum instar juxta textum graecum praebetur, nonnullis notulis quibus quaedam verba vel locutiones illustrantur, hic illuc interpositis.

Quae notentur in primis videntur appendices de pugna Sardensi deque Boeotiae institutione. Liber abundantiam operum notitia et indice finitur ac locupletatur. Quod opus quasi ducem, quo quis uti valet, optimum ducimus ad amplificandam "Hellenicorum Oxyrhinchiorum" investigationem historicam.

BERVE, H. — *Die Tyrannis bei den Griechen*. Band I/II. C.H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1967. Pag. 796. DM 85.

Ex opere inde ab H. G. Plass me-

dio saeculo superiore conscripto nunquam de *tyranno* apud graecos vel de *tyrannide* disputatum erat tamquam rei publicae graecae complemento. Quam ob rem quaestio summi videtur momenti ad cognitionem historiae hellenicae propiusque ad eventus politicos saeculi nostri vicesimi res accedit.

H. Berve primo volumine tyrannidem et unumquemque apud graecos tyrannum a temporibus arcaicis usque ad extremam aetatem hellenisticam —XXX annum scilicet ante Christum natum—, accurate describit. Non solum ante oculos habet omnia quae sunt inventa ad inscriptiones, papyros, nummosque spectantia, verum etiam novam rationem ac viam adeundi atque investigandi documenta.

Secundo autem volumine documentorum seu fontium copiam nobis auctor offert, praeter recentissimam operum notitiam quibus res attingitur. Laudanda sane clmi. professoris H. Berve expositio non solum aetatis classicae investigatoribus validissimum praebet adjumentum sed etiam et rerum gestarum et juris publici humanaeque communitatis studiosis et philosophis.

FRISK, H. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 18; Lieferung 19. Carl Winter, Universitätsverlag, Heidelberg, 1967-1968.

Alia duo parva volumina lectoribus commendamus quibus amplificatur lexicon illud etymologiarum graecarum in lucem Edelbergae in aedibus Caroli Winter vulgatum et a H. Frisk, Indogermanicae Bibliothecae auspiciis, exaratum.

Quod opus in dictione lexicographica bene meritum jam jam finem attin-

gens fasciculis 18 et 19 ditatur, quorum primus (18) pag. 673-768 explet et vocabula continet: σαλαγέω - σπνίος; alter (19) pag. 769-864 cum vocabulis: σπλάγγα - τείνω.

Duo fasciculi, ut de superioribus aliis jam antea diximus, accuratissime sunt conscripti, prout disciplina atque scientia lexicographica in praesens expostulat. Tantum autem deest ut opus quamprimum omnino perficiatur, adeo ut, qui linguae graecae vacant, in iis quae ad verborum etymologias spectant, opus jam absolutum ad manus praesto habere possint.

DORMINGER, G. — *C. Julius Caesar, Der Gallische Krieg*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1966. Pag. 542. DM 27.

Ex hac scriptorum classicorum collectione, quae "TUSCULUM" inscribitur, perspicuum est quantam auctoritatem Caesar habeat non tantum tamquam dux et vir rerum civilium peritissimus sed etiam ut scriptor et ut historicus. Nam una cum "*Germania*" Taciti Bellum Gallicum Caesaris praecipuus fons videtur ad antiquorum Germanorum vitam repetendam atque cognoscendam.

En tibi totius operis index: Lateinischer Text (6). Deutsche Übertragung (7). Erläuterungen (465). Titel des Werkes (486). Zur Textgestaltung (486). Die von Klotz, Fuchs und Constans abweichenden Stellen (491). Zeit der Veröffentlichung der Kommentarien (519). Tendenz des Werkes (520). Vercingetorix und sein Opfergang in Alesia (523). Caesar, ein Phänomen (526). A. Hirtius und Buch VIII (530). Literaturnachweis (531). Register (532). Kurze Zusammenfassung der einzelnen Bücher (541). Nachwort (542).

FALTNER, M. — *M. Tulli Ciceronis Laelius de amicitia*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1966. Pag. 207. DM 10,80.

Cum nostra aetate amicitia ab hominibus aliis plerumque rebus anteponatur, hodiernum est sane de ea colloqui. Qua propter M. Tulli Ciceronis Laelius de amicitia primigeniam hucusque retinet vim atque momentum. Hunc accedit quod editio, quam judicandam curamus, alia novitate exornatur, cum editor tamquam appendicem haud aspernandam in re quae ad amicitiam spectat, non nulla praeterea excerpserit exempla ex scriptis Xenophontis ceterisque ipsius Ciceronis desumpta.

Ecce indicem habes: Text und Übersetzung (6). Anhang (121). Einführung (121). Anmerkungen (135). a) Längere zu vergleichende Stellen (135). b) Einzelne Anmerkungen (169). Literaturverzeichnis (188), Erklärendes Namenregister (192). Nachwort (207).

WEIHER, A. — *Homer Odyssee*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1967. Pag. 760. DM 25.

Haec pulchra Odysseae editio praeter textum homericum versionem offert vernaculam optimis hexametris exarata, quibus fortunate nactus est auctor obsoletum sermonem germanicum vitare Homerum reddens vere hodiernum. Hoc interpreti fuit propositum: tam fidelem esse ut fieri posset, tanquam liberum ut necessario.

Nemini praetereunda appendix, qua A. Weiher in poesim homericam manu quasi ducit legentem: *Zu Homers Odyssee*: Die Dichtung (670). Die sprachliche Gestaltung der Odyssee (675). Die Menschen der Odyssee

(680). Homerische Psychologie (686). Die Götter (692). Die einzelnen Gesänge (696). Die neue Literatur (729). Namenregister (741). Stammbaum des Odysseus (756). Nachwort (757).

WERNER, O. — *Pindar: Siegesgesänge und Fragmente*. Ernst Heimeran, München, 1967. Pag. 579. DM 38.

Editio non tantum constat ex tota Pindari collectione hymnorum triumphalium germanica interpretatione instructorum verum etiam ex omnibus fragmentis hymnorum quos poeta diis devoverat ceterorumque carminum fragmentis quae aliquem sensum retinent.

Praeterea editio testimonia annotationesque continentur quibus et vita Pindari ejusque opera declarentur atque illustrentur, simul atque via expeditior aperitur ad rectius vatem intellegendum ejusque poesim nostra aetate comprehendendam.

Vide indicem quo continentur praecipua: Siegesgesänge und Fragmente (textus graecus versione germanica ornatus) (8-493). Ausgewählte zeugnisse (testimonia electa): Leben Pindars. Pindars Aussprüche. Herkunft in Versen. Aus der Suda. Über Bildnisse Pindars (497-507). Anhang: Anmerkungen zu den Siegesgesängen. Zum griechischen Text. Übersicht über Textabweichungen. Im deutschen Text verwendete Ergänzungen. Übersicht über die Nummern der Fragmente. Zur metrischen Form. Die deutsche Form. Literaturhinweise. Erläuternde Darlegungen: Leben und Schaffen Pindars. Nachwirkung. Form und Wesen pindarischer Dichtung. Zeittafel (511-571). Nachwort (573).

BURGER - FÄRBER - CHÖNE. — *Horaz Sämtliche Werke*. Ernst Heimeran Verlag, München 1967. Pag. 660. DM 19,80.

Opus poetae venusini vitam hominis locupletem variamque significat. Namque Horatius, non aliter atque Vergilius, vitae magister exstitit, morum praeceptor atque propheta, sed acerbissimus etiam satirarum scriptor. Idcirco Carmina, Epodi, Satirae, Epistulae in universis litteris jure praecellunt.

Id interpretationi merito tribuimus quod, sive lexico usitato sive verborum ordine atque collocatione, mirus consensus retinetur cum Horatii leporibus ejusque accuratissimis colloquiis.

Quo pleniorem totius operis conspectum habeas, indicem lustrare licet: TEIL I: Oden und Epoden (textus latinus germanica interpretatione instructus) (6). Vita Horati (262). Anhang: Textgestaltung (268). Literaturhinweise (271). Versmasse (273). Erläuterungen (275). Namenregister (289). Geflügelte Worte (316). Gedichtanfänge (318). Nachwort (321). TEIL II: Satiren und Briefe (textus latinus atque vernacula conversio) (6). Anhang: Textgestaltung (260). Literaturhinweise (263). Erläuterungen (265). Biographische Daten (309). Zeittafeln (310). Namenregister (313). Geflügelte Worte (335). Gedichtanfänge (337). Nachwort (338).

NEUMANN, W. - KERCHENSTEINER, J. *Platon: Briefe*. Ernst Heimeran, München, 1967. Pag. 236. DM 14,80.

Dum Plato doctrinam suam explanat colloquiis quibus Socratem sermoninantem inducit, epistulis de propria vita atque philosophia agit. Hac editione quaestio peritissime tractatur de

auctoritate ac fide epistularum quae Platonis nomine hucusque ad nos pervenerunt earumque historica fundamenta explicantur.

En tibi operis index: Text und Übersetzung (6). Anhang: Zur Textgestaltung (148). Die Echtheitsfrage (150). Aus der Geschichte Siziliens (155). Erläuterungen (163). Literatur (230). Namenregister (234).

VOLKMER, H. — *Dialogus de oratoribus, P. Cornelius Tacitus*. Ernst Heimeran Verlag, München, 1967. Pag. 143. DM 11,80.

Maximas prosequimur laudibus hanc editionem celeberrimi dialogi de oratoribus, ubi Tacitus agit de causis quibus apud romanos ars oratoria ad extremam quasi fortunam corrupta reciderit, de modo ac ratione institutionis aetati suae accomodandae, de simulata ac vera sapientia, de vi atque momento philosophiae ad juvenum institutionem, ceterisque rebus haud parvi pendendis.

Opus commentariis, annotationibus, introductione, bibliographia instructum magno erit adjumento iis qui Tacitum hoc indice duce legerint:

Text und Übersetzung (6). Das Leben des Tacitus. Name, Herkunft und Geburt (82). Ausbildung und Tätigkeit als Redner (84). Die Ämterlaufbahn (86). Werke und Nachleben (88). Der Dialog über die Redner. Die Handschriften und ihre Überlieferung (89). Die Verfasserfrage (93). Die Fragen der Datierung (95). Aufbau, Charaktere und Tendenz (97). Das Problem der Textlücken (106). Die Vorbilder und die Quellen (107). Literaturhinweise (109). Erklärendes Verzeichnis der Namen und Begriffe (112). Bemerkungen zur Textgestaltung (140). Nachwort (143).



LAMBRECHTS, R. — *La grammaire illustrée par César et Cicéron*. Des-sain, Liège, 1967. Pag. 204. 70 fr.

R. Lambrechts professor novum librum manualement versionum exaravit, quem institutioni secundariae destinavit ut ex ejusdem indole atque structura novis consiliis seu propositis Ministerii Educationis Nationalis rite respondeat ad linguas veteres tradendas. Quod ut assequi quisquam possit, opus est valida solidaque fundamenta grammatica nequaquam praeterire. Ad hunc finem tendit index grammaticus (p. 163-195), ubi per versiones ad manus professorum alumnorumque praesto sunt exempla quibus facile licebit qualemcumque regulam grammaticam, quamvis oblivioni datam, statim revisere atque retractare.

Quamquam minime nos fugit nimia forte difficultas eorundem textuum, tamen pro certo habemus novum hoc instrumentum in lingua latina addiscenda utilissimum fore juxta totius operis indicem: Introductio (5-10), Versiones (12-161), Index praecipuarum difficultatum grammaticarum (163-195), Tabula rerum seu materialium (197-203).

OXFORD LATIN DICTIONARY: *Fascicle I (A-Calcitro)*. Clarendon Press, Oxford, 1968. Pag. I-XXIII; 1-256. Price: 75 net.

Nobis in primis confitendum novum esse vocabularium, minime tantum revisionem quandam illius dictionarii "Lewis and Short". Quod opus videtur fructus seu effectus novae retractationis litterarum latinarum, quae a viris peritissimis septem fere et triginta abhinc annos incohata est.

Idcirco nobis junioribus nihil des-

perandum est nos opus perfectum absolutumque visuros, etsi quattuordecim annos spem protrahere debeamus ad totius vocabularii conclusionem. Interea fruamur oportet hoc primo fasciculo (A-Calcitro), nitidissima accuratissimaque veste typographica honestato.

Ut lectores nostri pleniorum habeant rei cognitionem ultro indicem operis praemittimus:

PUBLISHER'S NOTE (pag. V-VI). LIST OF EDITORIAL STAFF (VII). AIDS TO THE READER (IX-XXIII). I. Authors and works (IX). II. Supplementary list of modern collections, etc. (XX). III. General abbreviations (XXI). IV. Signs and other conventions (XXIII). V. Orthography (XXIII). VI. Note on suffixes (XXIII). A-Calcitro (1-256).

STYRENIUS, C. G. — *Submycenaean Studies*. Acta Inst. Athen. Regni Sueciae. Aktiebolaget, Lund. Gleerup, 1967. Pag. 176, 30 pag. imaginum photographiarum septemque chartae.

Submycenaean in primis Atticae sepulchra hoc opere sedulae subiiciuntur investigationi, in qua ante oculos habet auctor inventa archaeologica hucusque in reliqua terra continenti hellenica peracta. Omni cura scientifica, quam quis exigere potest, procedit investigator ejusque rerum expositio imaginum luce expressarum, chartarum ac diagrammatum serie illustratur.

Auctori vehementer gratulamur, qui plurimum contulerit meliori cognitioni aetatis suboscurae novamque viamque quasi novam ex Graecia achaica usque ad Graeciam classicam rei studiosis aperuerit.

ARIAS, P. E. — *Storia dell'archeologia*. Casa Editrice Dr. Francesco Vallardi, Milano, 1967. Pag. XVI-300. L. 8000.

Nemo sane ut Paulus Henricus Arias, Pisis in Universitate Professor, praeclarus isque industrius archaeologus, investigare poterat fortunam, fines, condiciones, consequentia archaeologiae universae in iis quae ad humanum cultum spectant. Tantae sapientiae fructus ususque tot annorum est liber in aedibus F. Vallardi Mediolani vulgo editus.

Volumen in non nulla capita dispartitur, quibus ordine chronologico ac topographico de praehistoria agitur, de Graecia antiqua, de antiqua quoque Italia, de arte classica, de Aegypto, de humano cultu Asiae mediterraneae, Asiae mediae atque orientalis, de America praecolumbina.

Dum, ad Europam quod spectat, auctor humanum cultum classicum tractat inde a praehistoria usque ad aetatem romanam historiamque rerum inventarum archaeologicarum; in aliorum tamen gentium cultu et Asiae et Americae pervestigando, historiae tantum talium rerum inventarum operam circumscribit. Ad Europae praehistoriam repetendam, postquam plures variosque descripsit cultus qui sibi ipsi successerunt a neolithica aetate usque ad ferream, P. E. Arias quaestiones resque pertractat praehistoriae, chronologiae praehistoricae, rationis ac viae inventionis praehistoricae.

Merito tribuimus auctori quod praeter classicos alios humanis cultibus perscrutandis vacaverit Asiae atque Americae, qui minus cogniti familiaresque italicis lectoribus erant; hunc quoque accedit quod quamplurimae imagines pictae textum mirifi-

ce illustrent, annotationes bibliographicae in extremo opere praecipua atque recentia scripta significant ad amplificanda in re argumenta, tabula qua varii pluresque humani cultus comparantur clarissime ostendit mirum quemdam eorum cultuum consensum necessitudinemque quamvis spatio, tempore, indole differentium.

Ut rem uno verbo absolvam, opus clmi. viri P. E. Arias, scientifica cura exaratum rebusque ac notitiis onustum, tamen sine animi defatigatione legitur propter dicendi genus scriptoris, varietatemque argumentorum in amplissima dictione archaeologica.

FISCHL, J. — *Manual de historia de la filosofía*. Edit. Herder, Barcelona, 1968. Pag. 580. Rústica 325 ptas. Tela, 325 ptas.

Hic liber manualis, in lucem superiore anno Barcinone in aedibus Herder editus, meritum summae seu compendii habet. Ne tamen nimia putaveris simplicitate opus laborare: nam, si minutissimarum secundariorumque rerum parcum videtur, tamen validis nititur fundamentis; immo nomina quaedam invenimus investigatorum qui primo conspectu a rebus philosophicis alieni videantur, ut Freud, Haeckel, Klages, Young, Planck; quorum cogitandi ratio recentiore philosophandi genere sine dubio imbuta erat.

Hoc sibi proposuit auctor: exarare opus non tantum absolutum verum etiam utile, historiam quamdam scilicet, qua quaestiones expediuntur praeclarissimarum mentium luce illustratae in iis quae et ad homines et ad res unicuique aetati cognoscendas spectant. Quod certo auctor est assecutus ideoque eum jure laudamus atque commendamus.

M. MOLINA, C.M.F.

# BIBLIOGRAPHIA

SHACKLETON BAILEY, D. R. — *Cicero's letters to Atticus*. Vol. III: Pag. 328. 70s. net. Vol. IV: Pag. 479. 90s. net. Cambridge Classical Texts and Commentaries. Cambridge University Press. Bentley House, 200 Euston Road, London, N. I, 1968.

Collectio "Cambridge Classical Texts and Commentaries" magni ponderis est series seu corpus editionum criticarum auctorum graecorum atque latinorum quae professoribus et alumnis superioribus destinantur. Unumquodque volumen continet introductionem, textum apparatu critico instructum, commentarium quo quaestiones textus disputantur. Interdum textus vernacula interpretatione donatur. Collectione, juxta editorum consilium, tum scriptores magis tum minus noti continebuntur.

Hujus corporis volumine III et IV litterae Ciceronis ad Atticum includuntur a Dctre. Shackleton Bailey editae, iterum retractato textu qui primus in collectione "Oxford Classical Texts" anno 1961 est vulgatus. Ut superiora volumina, hae duo et textum habent et apparatus criticum accurate selectum, versionem vernaculam, quae castigata nobis videtur atque perpolita. Quae versio anglica legenti est adjumento ad textum rite comprehendendum et quasi complementum commentarii non nullis locis specialis difficultatis intellegendis utilissimum. Quod ad commentarium attinet, multas quaestiones explicat, multam iis lucem immittit quae nunc explicandae remanent, res inutiles quae tempore sunt coacervatae, scite praeterit. Quibus omnibus effectum est ut Shackleton Bailey

commentarium in optimis scriptorum latinorum prae eminentem locum merito nanciscatur.

MARTELET, G. — *Las ideas fundamentales del Concilio Vaticano II*. Edit. Herder, Barcelona, 1968, Pag. 272. 175 ptas.

Hujus libri scriptor, qui Romae a primo conventu Concilii Vaticani II adfuit, Concilio jam exacto recte aestimavit totius operae conciliaris unum quasi conspectum habere omnibus utilissimum fore. Juxta G. Martelet sententiam Concilii Vaticani II hae videntur praecipua: fontium nostrae fidei revocatio, contrariarum opinionum discrimen atque oppositio signorumque spiritualis renovatio. De hujus modi signis renovandis agere idem valet atque disputare de Ecclesia nostrae aetatis hominibus accommodanda, sicut et declaratio de libertate religiosa et constitutio pastoralis "Gaudium et spes" et doctrina omnium rerum in Christo restaurandarum in praesentia expostulant.

Doctrinam quoque conciliarem auctor investigat qua laicorum apostolatus vindicatur; sed cum laici, sicut sacerdotes, mysterium Christi minime exhauriant, conciliarem repetit de sacerdotio doctrinam ejusque commune inter laicos et sacerdotes commercium atque necessitudinem in una tantum Ecclesia, quae signum Dei mysterii hominibus esse debet. Quae, quasi conciliarium rerum universa contemplatio, nihil nobis est dubii quin tum sacerdotibus ad studiorum coetus parandos, tum seminariorum alumnis, tum christifidelibus ad nostrae aetatis eventus perscrutandos utilissima futura sit.

M. MOLINA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Grammatica Latina ... ..	ptis. 60
" Repetitorium ... ..	" 60
" De Orthographia latina (altera editio) ... ..	" 20
" Index Orthographicus ... ..	" 5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio) ... ..	" 90
"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.) ... ..	ptis. 10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ... ..	" 12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..	" 10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ... ..	" 12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ... ..	" 10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..	" 10
" <i>Caesaris, De bello civili</i> ... ..	" 10
RAMOS, <i>Ciceroni; pro Q. Ligario oratio</i> ... ..	" 10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... ..	" 12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..	" 10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..	" 8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..	" 12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..	" 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..	" 12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6

---

# Fundació Bernat Metge

## SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)
- 166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI
- 167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.
- 168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).  
Llibres I - III.

Subnotationes mittantur ad:

**EDITORIAL ALPHA, S. A.**

Via Layetana, 30 - BARCELONA